



177

4

U. g. 17, 5





DISPUTATIO INAUGURALIS
continens explicationem
Legis Deprecatio. 9. ff. ad L. Rhod.

DE

JACTU,

Ut & reliquarum Legum Juris Nava-
lis Rhodiorum,

Quam

AUXILIANTE DIVINO NUMINE,
Ex decreto & autoritate,

*Magnifici & Nobilissimi Jctorum Ordinis
in Illustri Salana,*

SUB PRÆSIDIO

*VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI,
ATQUE EXCELLENTISSIMI*

DN. ERNESTI FRIDERICI SCHRÖTERI,

U. J. D. Consil. Sax. Profess. Publ. celeberrimi, Curiã Provinc.

Sax. Facult. Jurid. & Scabin. Assessoris gravissimi, Decani h. t.

Spectabilis, Præceptoris, Patroni, ac Hospitis sui
devenerandi,

PRO LICENTIA,

Summum in utroq; Jure DOCTORIS Gradum consequendi

Publico Examine subjicit

JOHANN DIEDRICH FABRICIUS, Susato Westphalus.

IN AUDITORIO JCTORUM,

Horis ante- & pomeridianis, die 17. Octobr. An. 1660.

J E N Æ,

Typis JOHANNIS NISII.



GENEROSISSIMO AC PERSTRE-
NUO DOMINO,

DN. Melchior L. Baroni à
Schlangenfelt/ Hæreditario in Neuen
& Altenwalt/ Sacrae Regiæ Majestatis, &
Coronæ Svecicæ Supremo Rei Militaris
Quæstori,

*Fratri meo dilectissimo, & Promotori
semper honorando,*

Disputationem hanc Inau-
guralem

Dedicat

JOHANN DIEDRICH FABRICIUS,
AUTOR.



Cum Deo.

DE Rebus nauticis Legibus-
que maritimis quædam traditurus, ne am-
plior & ditior sim in promissis, quàm in
ipsâ Materiæ elaboratione præstare vale-
am, non omnia & singula Maritima Jura
hic recensere mei est propositi, sed ea tantùm, quæ expli-
cando *l. Deprecatio. §. ff. ad L. Rhodi de Jactu* commodè ap-
plicare potuero; Methodum igitur secutus Jacobi Go-
thofredi in dissertatione ad hanc Legem, paucissimis
præmittam: inscriptionem & auctorem Legis, cum e-
narratione historicâ de Vitâ & Rebus gestis Antonini
Imperatoris, descriptione Geographica Insulæ & Urbis
Rhodus, & Civitatis Nicomediensis, Loci naufragii &
Cycladarum insularum, resolutione quæstionis Politi-
cæ de Dominatu Mundi, ac denique de ipsis Legibus na-
valibus, tum Rhodiis, tum aliis quædam adducam.

TH. I.

Nautæ quemadmodum Recepta restituant *ex lib. 4. ff. tit. ult. & Petri Peckii Commentario in eundem titulum constat.* Quomodo autem Magistri & ipsi Exercitores Navis ex Contractu obligentur *idem Peckius aliique Commentatores digestorum, ad Lib. 14. tit. 1. satis prolixè docent.* Cui titulo ob Materiæ similitudinem & affinitatem non incon-
cinnè subjungitur celebris illa materia ad maritimam negotia-
tionem pertinens, de Jactu Mercium, qui fit necessariò tempe-
state gravi exortâ ad salvandam Navem, ipsosque Navigantes
& reliquas Merces. Qua jacturâ factâ, cum inter Mercatores

& Navigantes damnum passos lites & jurgia exorirentur, lata est Lex Rhodia, quæ damnum passis navis exoneranda gratiâ omnium Contributione subvenit. Cum igitur in quibusdam regionibus consuetudinis esset, Res in tempestate ejectas, vel naufragio perditas, fieri vel Inventoris, vel applicari fisco; (id quod antiquitus Juris quoque fuisse in Hollandia testatur *Vin. ad §. fin. Inst. de R. D. n. 4*) Idem Eudemoni naufragium passo accidisse, testis est *Volusius Mæcianus in hac l. 9. ff. ad L. Rhod. de Jactu.*

TH. 2. L. Volusius Mæcianus Jctus vixisse legitur circa tempora Antonini Pii, notante Alstedio in Systemate Chronologico, circa annum Christi 146. eumque floruisse tempore Divorum Fratrum Marci Antonini & Veri Imp. *clarus text. est in l. 17. ff. de Jure Patron. & plurib. probat. Gothofr. cit. disp. ad leg. hanc. c. 2.* Scripsit hic Volusius Mæcianus tractatum de fideicommissis, cujus passim in jure fit mentio, imprimis *in l. 9. 13. 15. 17. 95. ff. de leg. 3. &c.* Et librum Publicorum Judiciorum, ex quo desumpta est *l. 8. ff. ad L. Jul. de vi publ.* aliæque, quas recenset Gothofred. cit. loc. qui inter scripta Volusii Mæciani refert quoq; Librum de Asse & ejus partibus: Non tamen vult admittere quod librum singularem ad L. Rhodiam scripserit, in quâ opinione videtur esse Accursius & alii, tamen qui legem hanc ex libro de L. Rhod. desumptam esse statuunt, & ita hujusmodi librum præsupponunt rectius sentiunt; alii verò ex libro de fideicom. alii ex libris judiciorum publicorum desumptam esse contendunt; Quicquid horum sit, unde desumpta sit hæc Lex, non moror, sufficiat nobis Authoritas ipsius Imperatoris Antonini, quam rescripto ad libellum supplicem Eudemonis Legibus Rhodiorum dedit.

TH. 3. Imperator autem, quem naufragium passi supplices rogarunt, fuit Antoninus Pius, teste Gothofred. *c. 6. disp. alleg. Princeps tantæ bonitatis, ut eum sine exemplo vixisse dicat Sextus Aurel. Victor in vita Antonini.* Initium Regni ejus fuit Anno ab V. C. 889. Christi 139. mense Julii cum ante annum 26. Februarii ab Adriano adoptatus esset, *Alsted. System. Chronolog. sub Imperat. Antonino.* Bella non gessit, sed autoritate solâ rexit trementibus atque amantibus eum cunctis regibus, nationibus & populis. Quater consulatus officio functus. Marcum Aure-

Aurelium Antoninūm adoptavit, cū sine prole esset (*Mun-sterus tamen lib. 2. Cosmograph. c. 57. meminit duorum filiorum qui ante eum mortui.*) Imperavit annos. 23. Mortuus enim anno ætatis 50. in villā propriā extra Urbem Romam, ac quidem febris consumptus circa annum Christi 662. 7. Martii. *S. Aurel. Vict. cit. loc.*

TH. 4. Enarrationem historicam sequitur descriptio geographica & quidem, Insulæ Rhodus; quæ est primò Insula Asiæ Minoris sita est in Mari Mediterraneo, Asiaticarū post Cyprū & Lesbū Maxima, ab ortu Cyprum & partem Ciliciæ, ab occasu Cretam, sive ut nunc vocatur, Candiam, à Meridie ipsum Mare Mediterraneum & Alexandriam Ægypti, à Septentrione v. Cariam respicit, pluribus nominibus olim vocitatā, ac à famosissimo Colosso, qui 70. cubitorum altitudinis fuisse traditur, & inter miracula Mundi recensitus, a quo incolæ Colossi dicti & ad quos Apostolos Paulus Epist. suam ad Colossi. scripsisse quidam volunt celebris facta. Domesticos ab initio suos habuit Reges, deinde Romanorum potestati subiecta, & ab his diviso Imperio ad Græcos translata, quibus Saraceni eam eripuerunt, recuperata verò & multis annis possessa ab Equitibus Johannitis, usque dum Turci circa annum 1522. eos ejicerent: Urbes in ea fuere præcipuæ Lindus, Camirus & Jalyfus, postea Rhodus dicta. Portus ad negotiationes maritimas naturā aptus. Hinc non tantum ipsa Civitas, sed & tota Insula re nauticā maximè celebris, & incolæ ipsius potentissimi olim in Mari fuerunt, *Wesemb. in pr. π. ff. ad L. Rhod. de factu ac ad variarum litium hinc inde emergentium compositionem leges tulerunt, quæ à loco Rhodiæ dictæ sunt, & deinceps ob summam earum æquitatem ab omnibus navigantibus pro lege usurpari cæperunt Nobilissimus, Consultissimus atque Excellentissimus Dominus Sirave, Factor Promotor & Præceptor meus colendus in Syntag. Juris Exercit. 20. ad lib. 14. ff. th. 6.*

TH. 5. Secundum præscriptum harum legum controversiam ab Eudæmono Nicomediensi propositā, Imperator vult esse decidendam. Quis autem Eudæmon ille fuerit, perinde est. Verisimile est Mercatorem eum fuisse cum magnæ ejus civitatis, cujus incola à lege nominatur, negotiationes essent. Sita est

est Civitas Nicomedia in Bithynia, Asiae majoris provincia, Asiae Minori, Galaciae, Ponti Euxino & Propontidi contermina Insula, à Conciliis Oecumenicis Nicæo & Chalcedonenfi maximè clara, reliquæ, inter quas Bursia ante expugnatam Constantinopolim, Imperatorum Turcicorum sedes, & Nicomedia aliquot Imperatorum quoque sede nobilitata, multorum autem Martyrum sanguine maculata. *Boterus Cosmograph. lib. 2. in descript. Bithynia,* in Cosmographorum libris recensentur.

TH. 6. De loco naufragii non consentiunt authores *Gothofr. in Disp. hac c. 3. cum Grotio in flor. Spars. ad Legem hanc aliquè Salmasio lib. de mod. usur. c. 4. & Vinnio in notis ad Peckium h. r.* pro τῆ Ἰταλίας reponunt τῆ Ἰκαρίας quia non verisimile sit aliquè naufragium facere in Italiâ, & deprædari circa Insulas Cycladas, utpote ab Italia lōgissime distantes. Cur autem pro Italiâ Icariâ potius legendum putent, rationem reddunt hanc. Quia periculosissimæ inter Cyclades Insulas navigationes; & multis naufragiis famosum mare Cycladas ambiens; cujus Maris Icarum, ab Insulâ Icariâ sic nominatum, pars est. Simili ratione moti *Seldenus in suo Mari clauso lib. 1. c. 25. & Petrus lib. 3. miscell. c. 1. pro Ἰταλίας* legendum putant τῆλίας propter aliquam Cycladarum Insularum τῆλίας dictam: Sed cum magnæ auctoritatis Juris Consulti correctionem legum & textus emendationem non facilè admittant, imò Accursium quoque & Doctores vulgò, nunquam sibi arrogasse emendare textum, testetur *Bacchov. ad Trentl. vol. 1. Disp. 18. th. 5. lit. c.* Salvare vulgatam versionem hujus legis studebo. Quidni enim hæc duo consistere possunt, naufragium facere in Italia, & expilari à Publicanis Cycladarum Insularum? Siquidem Maris Italici rarò apud Geographos fit mentio, totum enim mare quod ambit Italiam Mediterraneum est, variè à regionibus quas alluit cognominatum. Imò ea pars quâ ipsa Italia clauditur, non Italicum, sed Adriaticum, Jonium & Tirrhenium vocatur, ita ut dubium adhuc sit, qua in parte Maris naufragium passi sint: Nec est, quod aliquis dicat, illud dici Mare Italicū, quod terræ proximum; Notum enim est etiam Siciliam Italiæ partem esse, quam-

vis

vis hodie sit Insula. Si quis ergo eam partem Maris, Italicum, quod alias Jonium dicitur, Mare appellaverit, quidni naufragium in isto mari factum probabiliter assereret? Improbabilis quidem non est Salmasii & Grotii sententia, ad fugiendam tamen textus emendationem Accursii & vulgatam opinionem retineo; quamvis enim longè distet, Italicum Mare à Cycladibus Insulis, facto tamen naufragio quin etiam in loca remotissima Merces, procellarum impetu, rejici possint, magis est credibile, quàm planè impossibile. In Italia igitur naufragium factum puto, & quidem in eo Mari, quod est inter Siciliam & Cretam, appulsu facto per Africam Mercium ad Cycladarum littora.

TH. 7. Cycladarum appellatione continentur Insulæ Archipelagi quam plurimæ, non tamen omnes Archipelagi Insulæ seu Maris Ægæi inter Cyclades numerantur, sed pro diversitate temporis auctæ, ita ut nomine Cycladarum nunc quoque veniant Sporades, aliæque Insulæ extremæ partis Europæ & Asiæ Minoris, imò secundum hæc tempora ipsa Rhodus Cycladibus annumeratur, earumque prima est. *Cujac. ad Nov. 41.* Cyclades autem exindè dictas volunt, quod in gyrum quasi dispersæ fuerint: Non autem video quo fundamento astruat *Pec- kinus ad L. hanc.* Cyclades Insulas sitas esse in Mari Jonio, quod est inter Siciliam, Italiam, & Cretam Insulam, cujus partem Mare Ægæum esse apud Geographos non reperio, sed potius excluso Ægeo, omne Mare, quod est inter Italiam, Illyricum Siciliam & Græciam hodierno tempore Adriaticum, olim Jonium dictum. *Philipp. Cuvver. in Introduct. Geograph. lib. 1. cap. 12.* Totum Mare Mediterraneum comprehendit quidem Pontum Euxinum & Archipelagum, non autem Jonium usq; eò se extendit, sed terminos habet circa Argolicum, inter Peleponnesium & Candia Sinum.

TH. 8. Desluit ex verbis Rescripti Imperatoris Antonini vulgata illa à Politicis & Jurisconsultis agitata quæstio de Dominatu Mundi. *An Imperator Romanus sit Dominus Mundi?* Simpliciter hoc in verbis legis nostræ: *Ego quidem Mundi Dominus*: videtur affirmari, & confirmari per l. 3. ff. de Quadrienn.

prez

prescript. pr. Const. de Justin. Cod. confirm. l. 6. §. 2. ff. de excusat. c. 1. dist. 8. Luca. 2. vers. 11. & Dd. comm. citati à Reinking. lib. 1. clas. 3. c. 13. num. 7. & 8. de Reg. Secul. Vasq. Illustr. Controv. lib. 1. cap. 20. n. 1. Alii affirmativam hanc sententiam ut ridiculam explodendam, & damnandam ut injuriosam in alios Reges & Principes, qui Germanorum Imperio nunquam subjecti fuerunt, putant *Vinn. in Peckium ad leg. hanc.* Sed non video cur non mediæ sententiæ subscribenda sit. Vocabulo enim Mundi, sumpto pro maximâ parte ejus, per synecdochen, & imprimis pro eâ parte, quæ regebatur ab Antonino, tota lis sopita jacet; nec inusitatû planè ejusmodi genus loquendi est, satis clarum siquidè est ex Vaticinio *Danielis c. 2. v. 37. & seqq.* Et quamvis omnè Tropi- cam locutionem respuere videntur verba illa, quibus primo Monarchæ totius mundi dominatus promittitur, & tertiû regnum dominaturum in totâ terra. Nemo tamen ulli mortali- um, qui unquam Regum & Monarcharum sceptrâ adeptus est, totius Mundi dominatum simpliciter attribuet. Nostram enim Germaniam tempore primæ Monarchiæ domesticis suis Regib. subditam fuisse testantur historiæ, & quidem circa tem- pora Abrahami. Roma à conditâ Urbe suos Reges ad secun- dam usque Monarchiam habuit, ac deinceps à Consulibus re- cta. Et quamvis Reges tertiæ Monarchiæ totam terram do- minaturos expressè scribat Daniel: ipse tamen Alexander Ma- gnus nunquam septentrionales Regiones, nec omnem Judæ- am, nec Ægyptum, nec Italiam totam sibi subjugavit. Neque propterea ludibrio habendum Vaticinium Danielis, quod li- cet omnium filiorum hominis bestiarum, agri & avium Cœli subjectionem promittat, non tamen omnem glebam terræ, vel quodcunque individuum animalis significasse testis notorius est subsecutus Eventus.

TH. 9. Cum Gothofredo igitur *d. disp. c. 7.* assero. Mundû hic per synecdochen integri pro parte & quidem pro potissima ejus parte sumi, argumento dictorum Vaticiniorum Danielis, quæ aliter non esse explicanda, patet ex præfatione beati Lutheri in Danielem. In eo tamen prædicto Gothofredo cit. loc. non assentior, quod dicat: Imperium Romanum hodie esse extin-
ctum.

Sum. Licet enim pluralitate Regionum & Provinciarum hodiernum Romanum Imperium florentissimis Romanorum seculis non sit comparandum: Majestate tamen, dignitate & præ eminentia adhuc cuncta Mundi regna præcellere, in comperto est. Sed redeundo ad propositum, notandus est *Vinnius cit. loc.*: qui Peckio affingere videtur, quasi Mundi Dominatum hodiernis Germanis, Imperatorium decus representantibus, tribueret: quorum autem non meminit, sed Romanorum; De quibus ultrò fateor, eos potissimam partem Mundi occupasse, quicquid in contrarium *Bacchov. ad Treutkv. 1. Disp. 1. th. 7. lit. C.* asserat, Romanos, videl. Galliarum, Hispaniarum, Angliarum & multarum Europæ Insularum Imperium nunquam habuisse. Sed Jura nostra & probatissimi historici cognitæ terræ Europæ, Asiæ & Africæ dominium Romanis evincunt: Quis Galliam domitam à C. Cæsare negaret? an non Svetonius in vita Cæsaris eam Romani Imperii provinciam appellat? Eamque Bodinus, acris aliàs libertatis Gallicæ defensor, vicesimam partem Roman. Imp. vocat? Romanis & Gallis Magistratus & Leges eum constituisse patet ex inscriptione. *l. 5. C. de jurisdict. § 1. 2. §. 2. C. de off. Pref. Prat.* Hispaniarum subjectionem ex *d. l. 2. inscriptione l. 16. C. de don. ante nupt. l. 6. C. de servis fugitiuis. Addatur. l. 7. §. 10. ff. de interd. § relegat Maccab. cap. 8. v. 3. § 4. Plura videantur apud Thuan. lib. 1. Histor. Cornel. Tacit. lib. 4. annal.* Britanniam à Claudio Imperio junctam esse testatur *Suet. in Claud. & feudatariâ Imperatoribus fuisse. Cujac. 1. feud. tit. 7.* De Reliquis Europæ Regionibus minus dubium est. Ipsa Germania ante translatum ad Græcos Imperium, Romanorum Imperium declinare totaliter non potuit *Cluver. in introd. Geograph. lib. 3. c. 7.* Italia provinciarum Europæ primaria plenè à Romanis subjugata est. *Schleidan. de part. sum. imperiis.* De multis Italiæ Regionibus & Provinciis, excelsâ potentiâ, libertate & omnis superioritatis splendore multæ quidem jactantur, quicquid tamen sit, Italiam Romanis obtemperasse apparet ex *Tacit. lib. annal. 10.* Mediolanum Germanorum Imperatorum Hospitium & Sedes fuit. Sabaudiarum Dux in Recessibus Im-

B

perii



perii ut status invenitur, ac Banno Imperiali subiectus fuit. *Bod. lib. 1. de Republ. c. 9.* Pifarum, Senensium, Florentinorum, Lucensium, Arelatensium, Helvetiorum, exemptionem *Bod. lib. 1. de Republ. c. 9. & lib. 5. cap. 5.* Zacharias Victor de causis exemption. volum. 2. *Disp. Basil. Schönborn, lib. 5. Polit. cap. 5.* probant. Subiectos ergò fuisse necesse est.

TH. IO. De Venetis utrùm unquam subiecti fuerint Imperio Romano dubitat *Arniseus de iurib. Majest. lib. 1. c. 2. n. 4.* Eos tamen à Carolo Magno privilegia, ut suis uterentur legibus, accepisse ex *Sigonio* refert *Reinking de Regim. secul. lib. 1. clas. 2. c. 9. n. 69.* & probat. *Cluten, in Sylloge rerum quotid. th. 12. vol. 2. Disp. Basil. Schönborn. quoq; loc. cit. ex Alberico in l. cunctos C. de Summ. Trin.* refert, eum vidisse Privilegium exemptionis. Neapolitani & Sicilia Regni subiectionem videre licet; apud *Munster. in descript. Italia. c. 70. & seqq. in sua Cosmograph.* Daniæ Reges Germanis quoque Imperatoribus iuramentum fidelitatis præstisse vult *Krantz. lib. 6. Dania c. 17.* Norwegia reliquaq; septentrionis Regna Romanis subiecta fuisse testatur *Knichen. de pact. vest. p. 2. c. 5. n. 77.* Hungaria cum universa Panonia & Illyricum Romanorum parvit Imperio. *Sueton. in Tiber. De Illyrico est Rubrica Codicis de præfect. Pretorio Illyrici* satis clara. Polonia, Borussia, Livonia, Transilvania subiectione ex *Bod. lib. 1. de Republ. c. 9. Reinking. de R. S. & Eccles. cit. loc. Schönborn. lib. 5. Polit. c. 7. Thuan. lib. 1. & 58. Hist. Schleid. lib. 7. 8. comment. colligo.* Ex hisce omnium ferè Regionum Europæ subiectione colligere licet. Græciæ, ut opinor, subiectio apud omnes in cõfessio erit. Macedonia autè Romani leges dedere, ut patet ex *constit. Justin. 3.* De reliquis Mundi partibus brevis ero. Africã ab ipso Justiniano subactam ex *§. 1. præmii Instit. aliisq; locis patet, & in specie de Africæ Provincia Libia est text. in l. 2. & 3. C. de veter. jure enucleand.* De Ægypto ejusq; provinciis & civitatibus est *tit. 17. & 20. lib. 1. ff. tit. 37. & 57. lib. 1. C. editum ultimum Justiniani Imp. N. 36. 37.* De Arabia est *Nov. 102.* Asiam Romanis paruisse ex *Cornel. Tacit. lib. 4. anal. & Valer. Maxim. lib. 8. facti Membr. c. 3.* clarum, ejusque provinciis Præfides & Gu-

ber-

bernatores prapofuisse patet, & quidē de Præfide Palestinæ ex N. 103. de Præfide Cappadociæ ex N. 301. de Pratore Paphlagoniæ ex N. 29. de Præfidibus Armeniæ ex N. 31. de Pratore Pifidæ ex N. 24. de Pratore Lycaoniæ ex N. 25. de Samaritis ex N. 129. § 44. Americæ subjectionem nullus fortè urgebit, utpote quæ Romanis ignota. Sufficiant ergò hæc pro quæstionis de dominatu Mundi decisione & decisi amplificatione; restat adhuc brevibus pertractanda de naufragio quæstio, & reliqua Juris Navalis Materia.

TH. II. Non moror Jctorum imprimis Neotericorum, varias hujus legis interpretationes & interpunctiones, nec omnes refricabo quæstiunculas; An videlicet Imperator sit Dominus Maris? Quod affirmo. An per δημοσία servi publici vel Publicani intelligendi? posterius assero. Quis fuerit Divus ille Augustus, qui idem cum Antonino judicavit? Resp. Hoc scitum quidem non adeò necessarium, interim licet locum Augusti Octaviani hujus rescripti non inveniam, quo minus tamen idem judicasse affirmari possit, Rationes Gothofr. in cap. 6. alleg. disp. non obstant. Item relinquo aliis scrutandum, quis Eudæmon fuerit? Et potius glossam secutus ad h. l. 9. ejus casum pono talem. Eudæmon naufragium cum suis passus, in Cycladibus Insulis à Publicanis direptus est. Quæritur, quomodo ei subveniendum. Respondet Antoninus, illud observandum, quod lege naufragium passis in lege Rhodia constitutum est. Sed perlustranti mihi Jus Navale Rhodiorum ex libro 11. digestorum excerptum, & Petri Peckii Commentario ad Jus Navale annexum, quæstionis propositæ decisio non occurrit. Hinc Gothof. in disp. suâ ad legem nostram c. 5. propterea Antoninū ab Eudæmone aditū fuisse sentit; Quia Incolæ Rhodienses jure quodâ speciali bona naufragia, vel eorū partē sibi vendicabant, quod Eudæmoni naufragium passo, ut damnosum & iniquū displicebat; Supplicatur ergo Imperator, & cum nihilominus decisionem ad leges Rhodienses remittat, quid supplicans obtinuerit, videndum. Restituta autem omnia bona naufragio de perdita Eudæmoni fuisse exinde colligo; Quod nō

B 2 ob



obstante consuetudine Imperator cum hac limitatione
questionem ex lege Rhodiã velit esse decidendam: ni-
si obstet Romanorum lex aliqua in contrarium. Sive igitur
occupatio hæc naufragorum consuetudine invaluerit, sive le-
ge firmata fuerit, nihil obstat: Contraria enim lex non solum
ab ipso Antonino, sed & ante eum à Divo Hadriano lata est teste
Callistrato in l. 7. pr. ff. de Incend. ruin. & naufrag. quæ prohibet
naufragium passis bona diripere. Juxta præscriptum, ergo hu-
jus legis Eudæmoni bona erant restituenda, quod in jure no-
stro confirmatur per l. 1. C. de naufrag. l. 1. in pr. & §. fin. l. 7. l. fin.
ff. de incend. Ruin. & naufrag. Imò Pœna constituta est, in eos
furti bona servata ex naufragio subtraxit, licet ignora velit,
rem esse ex naufragio l. 5. ff. d. tit.

TH. 12. Nec solum ea sunt restituenda, quæ in ipso naufra-
gio diripiuntur, sed & quæ tempestate adversâ subortâ, levân-
dæ navis gratiã ejiciuntur, & in littore inveniuntur. §. fin. Inst. de
R. D. ibique Dd. l. 8 ff. ad L. Rhod. de Jactu, per optimam ratio-
nem ibi adductam. Nec valet in Romano nostro Imperio con-
suetudo in contrarium, teste Gailio lib. 1. observ. 18. quem sequi-
tur Hahn. ad Wesemb. ff. ad L. Rhod. de Jactu. n. 5. nisi bona ani-
mo derelinquendi, & sic spontè abjecerint. Quo casu absq; sus-
picionem furti rem inventam aliquis retinere potest l. 43. §. 11. ff.
de furtis quam aliàs dissentientes urgere solent: hoc modo ta-
men intellecta nihil obstat, monente. Nobilissimo, Consultissimo,
& Excellentissimo Domino Praside, Decano h. t. Facult. Jurid. Pro-
motore Preceptore & Hospite de venerando, in Notis ad Sutholt. disp.
4. Aphorism. 29. Peck. in l. 8. ad L. Rhod. ibique Vinn. lit. C. Hæ-
non. disp. 4. ad inst. th. ult. & ad Pandect. disp. 10. th. 5. lit. C. Furti
aliàs teneri rem inventam non restituentem ex authoribus al-
legatis patet. Hinc quaritur. Quid faciendum, si inventor ne-
sciat cujus bona inventa sint? Respondet Schneidwin. ad §. fin.
inst. de R. D. inventorem per libellum, vel ex suggestu, vel præ-
conis vocem proclamare debere, se talem rem invenisse, & re-
stituturum vero Domino, si intra tempus nullus amissum re-
perat, poterit inventor, si pauper est, rem inventam sibi retine-
re. Divites v. hortantur, ut in usus & alimoniam pauperum con-
ver-

vertant. An verò qui rem alienam invenit & indicavit præmi-
um petere possit? Respondet Ulpianus in l. 43. §. 9. ff. de furtis
eum quidem facti non teneri, non tamen probè petere. Proin-
de distinguere solent inter rem inventam, eamque gratis resti-
tuendam volunt, oblatum quamvis precium honestè possit ac-
cipi; & rem adhuc inveniendam, quam quærere sine mer-
cede nemo cogitur: impensæ tamen semper inventori restitu-
dæ. Vinn. ad §. fin. inst. de R. D. num. 4. qui in sequenti num. 5.
de hodierno usu testatur cum allegatis multis authoribus.

TH. 13. Tantæ authoritatis Jus navale Rhodiorum fuit,
ut non solum ad decidendas Controversias Maritimas pro Ju-
re gentium ferè obtinuerit, sed etiam illud ab Antonino ejus-
que prædecessoribus, de quibus Gothofr. cit. loc. c. 8. pro lege ser-
vandū esse, constitutum sit, salvâ tamē Legum Romanarum au-
thoritate, quæ Legib. Rhodiensium derogant. Ac proinde lex no-
stra in tantum jubet Jus navale Rhodiorum esse observandum,
in quantum Leges Romanæ non contradicunt. Subjiciam igitur
breviter juxta numerum Peckii Legum Rhodiensium cum
Legibus Romanis disconvenientiam, vel convenientiam.

Prima Lex pœnalis est, animadvertens in eos,
qui Navem in portu, vel litore ancoris spoliave-
runt, Furem confessum tormentis subjiciendo,
cum restitutione dupli omnis damni.

Modus sanè procedendi contra fures Juri nostro Romano,
Pontificio & Saxonico non solum convenientis, sed & Judicibus
sententiam ferre volentibus necessariò observandus. Impe-
rator enim Constantinus in l. 16. C. de pœnis neminem vult con-
demnari, nisi vel legitimè fuerit convictus, vel in ipso flagitio
comprehensus, vel sponte confessus fuerit. Cap. 1. caus. 2. quest.
1. Landrecht art. 22. Pœna Furti secundum Legem Rhodiam
dupli est, non solum rei ablatae, sed & omnis damni. Lex quo-
que furem confessum tormentis subjici jubet. An ad eru-
endam veritatem, vel ad infligendam pœnam? dubito. Posterius
tamen juxta textum Græcum non improbable esse videtur, ar-
guit

guit & hoc Lexicographorum interpretatio, qui tormenta cruciatum esse perhibent, vel eruenda veritatis, vel criminis puniendi gratia adhibitus *Calepin. in voce Torrens.* Jure quidem Romano tortura pro finali poena delicti non imponitur; Statuto autem pro poena eam imponi testatur *Clarus §. fin. Recept. sentent. quest. 70. vers. plerumque autem.* Proinde gravior est poena furti juxta legem Rhodiam, quam Romanam. Licet enim de jure Romano multae adversus fures inventae sint actiones. *§. 14. instit. de actionibus semper* tamen actio civilis absorbet poenam criminalem corporis afflictivam. *Vinn. ad §. 14. inst. de obligat. quae ex delict. nascuntur* : Hodie verò quando poena mortis secundum constitutionem Carolinam furibus dicitur, ipsa res solum restituenda est vero Domino *Schneidwin. ad d. §. inst. num. 8.*

TH. 14. Lex Rhodia secunda & tertia poenam furti ope & consilio alterius facti constituit, ita ut exercitor, quo consentiente furtum factum, omne damnum in solidum praestet, quod occasione furti accidit. Instrumenta autem Navis dupla restituat; Nauta verò qui furtum fecit, centum plagas fuste verberatus accipiat. Sin suo consilio nauta surripuerit, & per testes convictus fuerit, rem restituat, & tormentis subjicitur.

Apud Romanos quoque consulendo qui furtum causa sunt, impune consilium non ferunt; Justinianus enim in *§. 11. inst. de obligat. quae ex delict. nascuntur.* eandem dicitur poenam consilium praebentibus, quam ipsum furtum perpetrantibus, sub distinctione tamen consiliorum; ob simplex enim consilium consiliarium furti non vult teneri, per ea quae tradit. *Vinn. ad d. §.* Eidem poenae obnoxii sunt Receptatores furum & rerum furtim ablatarum. Hinc apud nos vulgare illud; **Der Häler ist so gut als der Stehler.** Nec solum omnes isti ad restitutionem rei furtivae tenentur, sed & ad omnis damni, ejusque quod interest

reest furtum non esse factum, refusionem. l. 27. ff. de furtis. Ho-
die autem cum pœna furti capitalis sit, ad pœnam mortis non
condemnantur quorum consilio furtum factum, nisi & ipsi a-
ctui adfuerint *Trentl. 2. 30. th. 3. lit. D.* Fustigationi eum quoq;
obnoxium, qui furtum commisit, dudum cum addicti one in ser-
vitudinem Lex XII. Tabb. constituit. Nihil autem diversitatis
inter Legem Rhodiam & Romanas esse potest circa pœnam;
pro varietate enim temporum, & delicti frequentia sapius a-
pud Romanos pœna est mutata. Fuit enim post 12. tabb. legem
primò mere civilis, deinde criminalis est facta. l. fin. ff. de fur-
tis. Novum moderamen Justinianus per Nov. 134. c. ult. adhi-
buit. Fridericus fures suspendi, vel scopis & forcipe excoriari
voluit lib. 2. Feud. de pace tenend. Mores hodierni Caroli V.
constitutionem sequuntur, quâ cavetur, ut habitâ ratione sexus
& ætatis fures non manifesti, nec magnæ rei, & semel convicti
lenius, reliqui gravius & capite puniantur. P. 3. O. art. 157. &
seqq. Quod a. nauta suo consilio furtum faciens tormentis sit sub-
ciendus, vel puniendi criminis gratiâ fit, secundum ea, quæ ex
Claro thesi præcedenti recitantur, vel eruendæ veritatis gratiâ,
& posse talè torturæ subjici argumento est, quod sufficiens in-
dicium ad torturam sit, si res furtiva apud eum inveniatur
Schulz in loc. comm. in verbo furtum. n. 4. Multo magis ergò
ipse fur torqueri potest.

TH. 15. Lex Rhodia quarta in quæstione:
Quis damnum in loco rapinis obnoxium sentire
debeat? distinguit. Aut Exercitor denuncia-
tione vectorum spretâ navim ad loca non tuta
applicuit, & omnia bona spoliata restituet; aut ve-
ctores spretâ denunciatione Exercitoris eò adpu-
lerunt navem, & omne damnum præstabunt.

Ex resolutione quæstionis patet, Exercitorem tunc teneri, si
culpa ejus navis ad locum non tutum appulsa fuerit. Quâ ra-
tione Jus Civile quoque actionem pollicetur contra eos, quo-
rum

rum culpā damnum quis passus fuerit, & in specie de re nautica
textus est apud *Ulpian. in l. 29. §. 2. 3. 4. ff. ad L. Aquilianam.* Ea-
dem ratione vectores tenentur ad id, quod culpā eorum acci-
dit; culpa enim quando præcedit casum, tenetur quis etiam de
casu *l. 5. §. 7. ff. commodat. cap. un. X. Commod. cap.
2. x. de deposit.* Et sicut tenetur Exercitor, qui spretā de-
nunciatione, sive non obstante protestatione à vectoribus
de non navigando ad locum non tutum, navigavit, ita quoque
econtrariò vectores teneri par ratio est. Tanta enim protesta-
tionis vis est, ut immunem protestantem ab omni damno præ-
stet. *Peckius ad l. 7. §. 1. ff. naut. cap. stab.* cuius paragraphi ar-
gumento hæc quaestio quoque decidi potest. *ut & arg. l. 5. ff. ad
L. Rhod. de factu. Loccen. lib. 3. de Jure marit. 19. n. 9.*

Lex Rhodia quinta verbis non verberibus
rixari vult, pœnam constituens in eum, qui alium
vulneravit, ut videlicet salaria Medicis exsoluta
læso restituat, atque otiosi temporis mercedem
cum operis præstet.

Jure quidem divino laxare aquas dicitur, qui caput conten-
tionis est, atque diligere defectorem, qui Jurgium diligit. *Prov.
17. v. 14. 19.* imò nec convicium quidem pro convicio reddend-
um *1. Petri 3. v. 9.* Sed cum rixæ inter homines eò extenderen-
tur, ut verba sequerentur verbera ac cædes, variæ à variis legis-
latoribus constitutæ sunt pœnæ, & quidem injuriam verbalem
passis actio injuriarum civilis & criminalis, eadem etiam realē
injuriā & damnū passis. *§. 10. inst. de injur.* ut & actio legis Aquil-
læ datur. *tot. tit. ff. ad L. Aquil.* Quæ igitur Lege Rhodiā consti-
tuuntur, in verbis: fiant rixæ &c. non eum habent sensum, quasi
dissensiones & cōtentiones verbales essent licitæ; Sed hoc mo-
do facienda interpretatio, quod dissensione inter aliquos sub-
ortā, non statim fieri debeat progressus à verbis ad verbera,
quod ne quidem Episcopo increpando fratres in feriores Jus
Can. permittit. *diff. 44. c. 12. & seqq.* De jure civili licet Retorsio
verbalis injuriæ sit permessa, ea tamē fieri debet cum modera-
mine,

mine, ita ut ut respondeat retorsio injuriæ illatæ, fiatq; in con-
tinenti vel intra tempus in scriptis, ad famæ defensionem, non
verò ad injuriantis offensionem, *Mynsing. cent. 5. observ. 17. Gail.*
2. observ. 100. Nulla tamen est proportio inter injuriam ver-
balem & realem, ac proinde, si quis, licet ab alio injuriatus
fuerit, injuriantem vulneravit, non solum salaria Medicis per-
cussor, sed & omne damnum restituit, qua in parte cum Lege
Rhodiâ, Jus divinum *Exod. 21. v. 18. 19.* & jus civile. *l. 7. l. 27.*
§. 17. ff. ad L. Aquil. Wesemb. ff. h. t. n. 7. Bocer. cl. 4. disp. 2. thes.
33. quem vide. consentit.

TH. 16. Sexta in ordine Lex Rhodia, de ho-
micida disponit, eumque à pœna homicidii libe-
rat, qui prius ab alio verberatus se defendit, atque
ea occasione aggressorem occidit.

Lex quidem divina & quinto præcepto inclusa est, non occi-
des, pœnaque Talionis constituta est in homicidas *Exod. 21. v.*
12. & simil. & jus civile ferro homicidas persequitur *§. 5. Inst. de*
public. judic. l. 3. §. 5. ff. ad L. Corn. de Sicariis. Sub distinctione
tamen homicidii, juxta *Rubr. extr. de homicid. Neces. volunt. &*
casual. Hoc non ordinariâ pœnâ, sed vel planè non, vel extra-
ordinariè punitur, *l. 4. §. 1. ff. ad L. Corn. de siccor.* Voluntarium
legibus divinis & humanis per supra citata jura capitale est.
Non autem jure canonum, cujus ratio est, quod pœna canoni-
ca non extendat se ultra excommunicationem *c. 10. x. de jud. nec*
potest Judex Ecclesiasticus judicium sanguinis proferre. c. 5. x.
ne cleric. vel Monach. seculor. negot. se immis. Necessarium, de
quo Lex Rhodia, ut patet ex ratione legi subjecta, cum percus-
sorem à periculo liberet, eò quod alter eum aliàs occidisset, o-
mni jure concessum est. *Gail. lib. 1. de pace publica. cap. 16. n. 7. &*
10. Cujac. lib. 5. observ. 18. Ita tamen necessarium homicidium
impune erit, si moderamine inculpatae tutelæ sit circumscri-
ptum **P. 3. O. art. 139.** Quod consistit in defensione factâ le-
gitimo modo, legitimâ causâ & justo tempore *Jul. Clar. lib. 5. §.*
homicidium. n. 34. Wesemb. lib. 1. conf. 19. n. 57.

Q

LXX

Lex Rhodia septima specialium membrorum corporis læsorum æstimationem solvere jubet, ita ut, mercede prius medicis solutâ, pro oculo duodecim, pro Ramice decem aureos præstet: Sin percussus decesserit, morte percussor plectendus est.

Ultimus casus Legis ex præcedentibus clarus, & non tantum cum Jure Romano, sed & divino conveniens est; qui enim causam mortis dedit, ipse moriatur. Occidisse siquidem dicitur, qui quoque modo causam mortis præbuit. *l. 51. ff. ad L. Aquil. l. 15. ff. ad L. Corn. de sicar.* De Salario Medicis præstando ad legem quintam dictum. Membri quoque læsi æstimatio juri nostro Romano non est incognita. Olim quidem lege duodecim Tabularum, propter membrum ruptum pœna Talionis, propter os fractum numariæ pœnæ constitutæ erant. Sed postea prætores permisere, ut læsus damnum æstimaret, prout ei visum erit; salvâ tamen manente Judici moderatione damni æstimati *§. 7. Inst. de injur is ibique Dd.* ubi non solum perempti corporis damnum æstimatur, sed & omne id quod interest. *l. 21. §. fin. l. 22. §. fin. ff. ad L. Aquil.*

TH. 17. Legis Rhodiæ octavæ casus talis est: Exercitor cum nautis aufugit, secumq; navim onustam abduxit, quæfitur, quomodo Mercatoribus consulendum? Resp. Omnia bona mobilia & immobilia fugientium occupare possunt: Quæ, computato omni eo quod interest, si non sufficiant, Exercitor cum nautis, donec plenè satisfactum sit mercatoribus, operas præstet.

De Jure Longobardorum teste. *Nicol. Carbon. in præct. prælicar. lib. 1. cap. 7. n. 51.* aufugientes cum Navibus Regiis banno afficiuntur, & domus eorum diruuntur, capti verò amputato pede

pede dimituntur. De Jure Romano casum propositum in terminis non reperio decisum. Quid interim statuendum sit, videbo. *Coler. in process. Execut. part. 2. c. 3. n. 16. ex Antonio de Butrio. ad cap. fin. x. de foro compet.* immisionem in bona delinquentis fugitivi admittit. Ejus autem quod interest præstationem, & in casu inopiæ fugientium ad operas præstandas additionem Jura Romana admittunt, *arg. l. 22. ff. de furt. & jura divina furem, qui restituere rem ablatam nequit, vendere jubet. Exod. 22. v. 4.* Non melioris, sed ferè pejoris conditionis sunt cum mercibus aufugientes, pro ut in simili Ulpian. *in l. 52. ff. §. 16. de furt. Alexand. in l. 7. C. eodem & Paulus in l. 22. §. 7. ff. mand. furti teneri volunt Tabellarios, qui pecuniam, quam ad alium transferendam acceperunt, in usus suos convertunt, eosque Jus Saxonicum teste Dan. Mollero lib. 4. semestr. 2. suspendi, si summa sit 20. Imperialium, sin miuor relegari & fustigari jubet. Pœna quidem ordinaria capitali nuncium non affici vult Wesembec. ff. de furt. n. 11. cum Jafone. quorum tamen rationes Daniel. Moller. cit. loc. refellit, quem sequutus, posse omninò nuncium, qui animo retinendi nummos aufugit, pœnâ capitali plecti verum puto.*

TH. 18. Lex nona Rhodia tempore jactus faciendi vult 1. interrogandos esse Vectores. 2. ut calculum ineant, & in contributionem pecuniæ veniant. 3. ut stragulæ, vestes & instrumenta æstimentur. 4. ut personæ quoque in contributionem veniant, juxta æstimationem hujus legis. 5. ut contributio fiat pecuniæ ab hostibus, latronibus, & piratis raptæ. 6. ut facto pacto de lucro inter socios, computatione in partem lucris portione quilibet & damnum agnoscat.

Non per omnia conveniunt Jura Romana cum hac lege nonâ. Antequam jactus sit Exercitor quidem consensum ve-

Et ofum aliorumque quorum interest explorabit. *l. 2. §. 1. ff. ad L. Rhod. Loccen. de jure Marit. lib. 2. c. 7. n. 3.* & plurium consensus obtinebit, imò licet omnes dissentiant, Navarchus tamen præsens periculum cum suis focis probare potest, & reliqui contributioni erunt obnoxii. Consultis verò omnibus iis quorum interest, vel tantum majore parte, quilibet merces suas indicabit, omniaque bona, quæ in contributionem veniunt, æstimabuntur. Quæ autem bona æstimationem recipiant, & sub contributionem veniant, non eadem est legum Rhodiensium & Romanorum dispositio. Illæ vestimentorum & instrumentorum navis contributionem absolute videntur asserere. Hæ vestimentorum collationem non admittunt, quæ quis in corpore suo gestat, & quæ ordinario cultui & amictui corporis serviunt. *l. 2. §. 2. ff. ad L. Rhod. de Jactu* Instrumentorum verò alia non est contributio, nisi communis periculi avertendi causâ dejiciantur. *l. 3. ff. ad L. Rhod. de Jactu*: Utrum verò personæ in contributionem veniant? Sic vult Lex nostra Rhodia nona, constituendo certam pecuniæ summam in quemlibet navigantium. Sed jus civile Romanum liberi hominis æstimationem prorsus respuit. *l. 3. ff. si quadrup. paup. fecis. dic.* ob quam rationem nec in contributionem liber Romo venit. *l. 2. §. 2. ff. ad L. Rhod. de Jactu*. Servorum quoque, qui in Mari perierunt, vel ægri in navi decesserunt, vel sese præcipitaverunt, non fit contributio. *l. 2. §. 5. ff. ad L. Rhod. de Jactu*. Eorum tamen mancipiorum, qui vendendi causa in navi sunt, contributionem rectè fieri puto. Eodem modo lex Rhodia contribuendum præcipit, si ab hostibus, latronibus & piratis navis direpta est. Lex verò Romana inter piratas, hostes & latrones distinguit. Si porrò navem à Piratis captam nauta redemerit, communibus impensis pro ratâ æstimationis cujusque, mercium & ipsius navis, pecunia nautæ reddenda. *Vinn. in Peck. ad l. 2. §. 3. ff. ad L. Rhod. de Jactu*. Quæ verò à Prædonibus auferuntur, ille perdit, cujus res fuere. *d. l. 2. §. 3. ff. ad L. Rhod.* *Restat in Lege Rhodia nona cujus sit damnum rerum perditarum inter socios?* Et inspiciendus erit tenor conventionis, aliàs pro lucri portione quilibet damnum

num agnoscat. Difficiliter quidem de Jure Romano in societate coeunda admissum est, ut partes lucri & damni difformiter constituerentur, sed quia sæpè quorundam ita pretiosa est opera, ut tantum societati conferat, quantum ipsa pecunia, valet ista societas etiam ubi lucri & damni non observata est æqualitas §. 2. *Inst. de societ. l. 29. §. 1. ff. pro socio* in qua lege exemplum hujus societatis à Mercatoribus navigantibus adducitur. Semper igitur in lucri & damni æstimatione inter socios id respiciendum est, quid inter eos actum sit; expressa enim conventio ultra naturam contractus operatur *l. 23. ff. de R. 7.* ita ut servandum sit, de quo constat inter socios conventum esse, nisi summam cõtineat inæqualitatem & communionem Leoninam. Si verò societas simpliciter absque ullo pacto adjecto contracta sit, commune periculum est inter socios *l. 24. ff. pro socio.* & hac occasione, si quid naufragio periit, vel à latronibus direptum, commune quoque damnum erit, nisi culpa socii accidisset. *l. 52. §. 2. ff. pro socio.*

TH. 19. Lege decima Rhodensium statuitur, ejus esse damnum, cujus culpa damnum vel naufragium fit, sive sit Exercitor, sive nauta, sive Mercator. Si absq; culpâ horum damnum acciderit, salvæ navis & onerum partes in contributionem veniunt.

De Jure Romano non solum damnum quod quis suâ culpâ sentit æquo animo ferre debet. *l. 29. pr. ff. mandat. l. 25. §. 4. ff. locati.* sed & illud damnum, quod culpâ suâ aliis accidit, resarcire tenetur. *l. 30. §. fin. ff. ad L. Aquil.* nisi casus sit fortuitus, quem præstare nemo tenetur. *l. 3. §. 1. de Naut. Caup. Stub. l. 26. §. 6. ff. mandat. l. 1. §. 4. ff. de O. & Act.* Quando verò naufragium culpâ Naucleri, vel vectorum censeatur factum exponit *Loccen. tract. de jur. marit. lib. 1. c. 7. n. 3. 4. 5.* De nautis, quod ex culpâ suâ damnum admissum resarcire debeant, expressi textus sunt *in l. 29. §. 2. 3. 4. 5. ff. ad L. Aquil.* Aliàs Lex Romana ut contributioni locus sit, hæc potissimum videtur requirere,

1. Jacturam rerum ex unâ parte. 2. Conservationem rerum ex alterâ parte. 3. ut jactus fiat servandi navis & naufragii avertendi causâ. Sed in casu hujus legis Rhodiæ, de Jactu nihil constat. Hinc licet navis sit deteriorata, & quædam merces salvæ sint, non tamen admittunt leges civiles contributionem. Naufragio enim facto, quicquid sibi quis servat, habet. *l. 5. l. 7. ff. ad L. Rhod. de fact.*

Lex Rhodia undecima ad evitandum damnum consilium dat Mercatoribus, ut antequam navigio merces suas imponunt, diligenter inquirent, an navis benè instructa sit, & omnia Instrumenta plenè habeat, & ita merces imponant.

Cautus quidem Mercator merces suas navigio deteriorato imponi non permittet. Si verò præsens nautam tali navigio merces imponentem non prohibuerit, non videtur sine culpâ esse, qui quod damnum avertere poterat, non declinat. *l. 31. ff. ad L. Aquil. &*, si præsens sit Dominus Mercium, cum impedire possit impositionem, & taceat, consentire videtur. *cap. 2. x. de his qua sunt à Prælatiis.* Sed in dubio, ubi statuta specialiter hæc de re nihil disponunt, secundum jus civile pronuncian- dum puto; Mercatoris nimirum non esse damnum, sed locato- ris, qui mercede acceptâ vel promissâ necessariò factum præ- stare tenetur *l. 22. §. 2. ff. locat.* imò natura locationis & condu- ctionis est, ut locator non solum fundi locati instrumenta con- ductori præstet. *l. 19. §. 2. ff. locat.* sed & damnum, quod ejus dolo vel culpâ conductor sensit *l. 28. C. locat.* & qui vitiosa va- sa, licet ignorans conductori dederit, tenetur ad damnum inde datum. *l. 19. §. 1. ff. locat.*

TH. 20. Lex Rhodia duodecima agit de deposti- to. Deponendum esse ait in præsentia trium testi- um, vel si grave, interveniente scriptura. Qui rem custodiendam recipit, uti recepit, restituat: vel
fia.

si amissa erit domus perfossionem patiatur: & unde furtum factum indicabit, ac dolum ejus abfuisse jurabit.

Elegans consilium de cautè deponendo, in præsentia videlicet testium, habemus *in authent. si quis vult. C. qui potiores in pignore.* & de simili consuetudine Regni Longobardici testatur *Nicol. Carbon. in part. practic. lib. 1. cap. 7. n. 42.* Sed Jus Romanum de necessitate neque testes, neque scripturam requirit: facilius tamen probationis causâ posse & testes & scripturam intervenire assero. Ita quoque restituendam esse rem depositam jus civile jubet, prout recepta est. *l. 1. §. 5. ff. de O. & A.* nisi aliud convenerit, juxta *l. 24. & 25. §. 1. ff. depositi,* cum fructibus & omni causa *l. 1. §. 24. ff. eod.* Si res deposita amissa fuerit, videndum porrò est, utrum dolo & culpâ depositarii perierit, & tunc in id condemnabitur, quanti in litem juratum est. *l. 1. §. 26. ff. depositi l. 8. ff. de in litem. jura.* De dolo & culpa eum quoque teneri colligo *ex l. 1. §. fin. l. 20. ff. depositi.* Sed & depositario, si vir sit probus & integræ famæ, posse juramentum purgationis deferri, præjudiciis & authoritatib. confirmat. *Dn. Hahn. in notis ad Wesemb. π. ff. deposit. n. 4. & hanc legem cum ll. Roman. convenire dicit Strypmann. de jure marit. part. 4. c. 15. n. 349. & seq.* Pecuniam insuper ablatam in alia domo perquirere licere. *Jul. Clar. Reip. sent. §. furtum vers. quero.* testatur. *Petrus Gregorius Tholosan.* tamen in *syntagm. juris. lib. 37. cap. 20.* de hoderno consuetudine id negat.

Lex Rhodia decima tertia vult. Res esse apud Exercitorem deponendas, aliàs si perditæ fuerint, damnum passo non creditur: Omnes tamen qui in navi sunt, Juramento se purgabunt.

Nautæ, Cauponès, Stabularii ut recepta restituant, nisi casu fortuito perierint *ex l. 3. §. 1. & t. t. ff. naut. caup. stab. constat.* Non solùm autem ea recepta dicuntur, quæ ipsis scientibus ad custodiendum assignata, sed & quæ in navim missa sunt. *l. 1. §. ult. d. tit.* Circa immissas verò res non eadem est, *Dd. sententia.*

Aut

Aut enim ignorantibus nautis res immiffæ sunt; aut scientibus illis. Utroque casu Exercitorem ad restitutionem teneri quidam volunt. Glossa verò *ad l. 1. §. fin. d. t.* indistinctè scientiam eorum requirit. Quàm sententiam ut æquiozem, teste *Dn. Hahn. in observ. ad π. Wesemb. ff. naut. caup. stab. n. 5.* ita & Juri Romano consentaneam esse puto. *Peckius. ad l. 1. §. fin. ff. naut. caup. ibique Vinn. lit. c.* An autem Juramentum purgationis iis possit deferri, qui in navi sunt? Sic concludit Lex Rhodia. De Jure verò Civili, si suspicio & indicia, vel semi plena probatio contra eos, qui in navi sunt, adsint, quin possit deferri dubium non est *Marant. part. 6. de ord. Judic. de Juram. ejusque diff. n. 17.* Et in specie si furtum in hospitio aliquo fuerit factum, quod caupo, se furtum non fecisse, jurare debeat sacræ literæ attestantur *Exod. 2. v. 8. vid. latè Heig. part. 1. Quæst. 40. per tot.*

Lex Rhodia decima quarta pœnam dupli constituit in eos, qui depositum negaverunt: & in eos qui mediante juramento hoc fecerunt, pœnam perjurii.

Eandem pœnam dupli Jus Civile constituit in inficiantem depositum, quod tumultus, incendii, ruinæ vel naufragii causa factum est. *l. 1. §. 1. l. 18. ff. depositi §. 17. & 23. Inst. de act.* An autem pœna perjurii plectendus, qui Juramento negavit depositum? altioris est indaginis. *Marant. in ord. Jud. de Interrogat. n. 9.* vult, non esse perjurum, qui de crimine interrogatus, cum Juramento illud negavit. Sed cum omne Mendacium Juramento confirmatum sit perjurium, *Ful. Clar. recept. sent. §. perjurium. in pr. Arnol. Corv. ad Jus Canon. lib. 3. tit. 31.* & dolum hic non abesse constet, meritò perjurii pœna afficietur, quia verè perjurus est. *c. 1. caus. 22. q. 2.* An verò pœna perjurii in Jure Civili definita sit? Variè à Doctoribus disputatur, quos vide *apud Treutl. vol. 1. disp. 21. th. 8. cum Bachov. tamen ad Treutl. d. l. pœnam certam esse constitutam in perjurum affirmo, prout deducit hæc latius Dn. Hahn. ad Wesemb. π. ff. de Jurej. n. 13.*

TH, 21. Legis Rhodiæ decimæ quintæ casus est.

est. Quidam navigantium, cum navis littus ad-
pulisset, egressi sunt, nauta verò ceceumate pro-
pter accursum Latronum, aut piratarum facto,
aufugit, relictis egressis, navi tamen & mercibus
salvis, quas omnes quilibet egressorum recipit,
quæritur, an adversus Exercitorem vel nautam
actio quædam, propterea quod reliquerit egres-
sos, institui possit? Et resp. quod non. Sed Mer-
cator, quocunque loco servum alienum apud se
depositum reliquerit, Domino restituet.

Non inquiri hic cuius culpâ navis littus adpulerit, de quâ re
th. 15. dictum, sed quæstio principalis est; Utrum navim egres-
si actionem habeant contra Nautas vel Exercitorem? De Mer-
cibus rebusque illatis, quin restitui debeant, dubium non est.
Nec actionem competere iis, quorum interest non fuisse reli-
ctos, exinde patet, quod neque Exercitor, neque nautæ de ca-
su fortuito teneantur *l. 9. §. 3. ff. locat.* nisi pacto se adstrinxerit
juxta d. l. 9. §. 2. aliàs regulariter casus fortuitos nemo præstare
tenetur *Gail. 2. obser. 21.* Incursum vero hostium & latronum
inter casus fortuitos referri, textus est in *§. 2. Inst. quib. mod. re
contrab. obligat. l. 18. pr. ff. Commod.* Quicquid igitur culpâ vel
dolo Nautarum accidisse probatum non fuerit, de eo neque
nautæ, neque Exercitor tenebitur. De Servo verò deposito
juxta Jus Civile majus est dubium, quem quidem restituend-
um, ipsa natura depositi vult. *l. 1. §. 5. ff. de Oblig. & Act.* Si ta-
men res absque dolo depositarii absit, non potest ad restitutio-
nem urgeri. Dolus enim duntaxat in actione depositi præ-
standus est *l. 1. §. ult. l. 20. ff. depositi*, non verò culpa, aut levior
negligentia; suæ enim facilitati imputare debet, qui negligenti
amico rem custodiendam tradit *§. 3. Inst. quib. mod. re contrab.
oblig.* Quæ omnia procedunt, nisi ad culpam vel casum se obli-
gaverit. *per l. 1. §. 6. ff. depositi.*

D

Lege

Lege Rhodia decimâ sextâ vult, ut fidejussio, pro pecunia mutuo sumpta, eo tantùm casu admittatur, quando metu periculi Marini, vel piratarum, ipsius pecuniæ interitus imminet, naulo interim, navi, mercibus & pecuniâ salvis. De pecuniis verò sub fidejussione datis usuram nauticam solvant.

De Jure Romano omni obligationi fidejussor accedere potest. *l. 1. ff. & §. 1. Inst. de fidejuss. etiam naturali. l. 16. §. 3. ff. eod. & criminali. l. 8. §. 5. ff. eod.* pro dote tamen restituendâ & conservandâ maritus non est cogendus fidejussorem dare, datus tamen obligatur. *Hanon. disp. ad Inst. 15. tb. 4.* Sic in propositâ lege Rhodiâ 16. statuitur, non posse Exercitores vel Mercatores cogi, ut pro pecunia mutuata fidejussorem dent, nec merces vel naulum, vel navim sub eo prætextu detinere. Juris tamen & moris esse, creditori de trajectitiâ pecuniâ sub conditione, vel nudo pacto, vel per stipulationem, aut syngrapham aut pignoribus & hypothecis, vel mercibus in navi pignori acceptis, in fidem sortis creditæ, & debitarum usurarum cavere, scribit *Loecen. tract. de Jur. Marit. lib. 2. c. 6. n. 7.* An vero qui in navem armandam vel reficiendam credidit, Jus tacitæ hypothecæ habeat? Affirmari videtur in *l. 5. ff. qui pot. in pign.* quod tamen alii restringunt ad privilegium tantùm personale, per *l. 26. l. 34. ff. de privil. cred.* vel tunc demum locum habere, quando expressè ita conventum est. *Loecen. d. tract. lib. 3. cap. 3. n. 2.* Negativæ tamen sententiæ subscribo cum *Dn. Hahn. in observat. ad Wesemb. π. ff. in quibus causis. pign. vel hypoth. n. 1.* Fœnus verò nauticum tunc deberi vult hæc Lex Rhodia, quando pecuniæ sub fidejussione creditæ sunt: Verùm de Jure Civili fidejussio non operatur præstationem usurarum. Quo Jure usuræ non aliter debentur, quam ex pacto, stipulatione, vel mora *Borcholt. de usuris. cap. 3. n. 1.* Nauticum fœnus autem de Jure Civili ex mora non debetur. *Borcholt. de naut. fœn. cap. 3.*

n. 8.

n. 8. sed vel ex pacto. l. 7. ff. de naut. fœn. vel ex stipulatione. Est autem nauticum fœnus lucrum trajectitiæ pecuniæ, quam creditor, recepto in se dubii eventus periculo, alicui sub certis usuris tanquam periculi compensatione tradit. *Loccen. de Jure Marit. lib. 2. c. 6. n. 2.* Olim quantitas certa fœnoris nautici definita non erat: Hodie verò ex Justiniani Constitutione certum habet modum, & est centesima, nec centesimam egredi potest. l. 26. §. 1. C. de Usuris.

TH. 22. Lex Rhodia decima septima Pecuniæ societati navigantium mutuatae periculum cuius sit, declarat, hoc modo: Aut certum tempus inter socios, & quidem in scriptis solutioni destinatum, quo completo, si debitores in mora restituendi fuerint, eorum periculo mutuum quovis modo perditum erit. Aut certum quidem tempus solutioni destinatum, antequam autem dies cesserit, si pecunia perierit in mari, damnum erit juxta pacta conventa & sociis, & mutuanti commune.

Jure Civili, si mutuum naufragio vel incurso piratarum perierit, debitor nihilominus obligatus manet, §. 2. *Inst. quib. mod. re contrah. l. 1. §. 4. ff. de Ob. & A. l. 11. C. si cert. pet.* Aliud verò eodem Jure Civili Romano constitutum est circa trajectitiam pecuniam, quæ periculo creditoris trans mare vehitur. l. 1. ff. de naut. fœner. Hoc verò pacto mutuo pecunia data, ut salvâ navi, cum fœnore reddatur, naufragio facto sors & spes lucrî creditori perit l. 3. ff. l. 1. & 3. C. de naut. fœn. Pactum quoque huic Legi Rhodiæ adjectum Juri Romano non contrariatur. *arg. l. 4. ff. naut. fœn.*

Lex Rhodia decima octava fidejussores solvere jubet, si debitor peregrè profectus justo tem-

D 2

pore

pore mutuum non solvat. Tempore verò solutionis elapso fidejussio non extinguitur, sed si nulla ratio satisfaciendi adsit, debitor usuras nauticas solvere necesse habet.

Olim Jus Civile permittebat ante reum principalem fidejussores actione ex stipulatu convenire, ut patet *ex l. 22. §. interdum ff. mandat.* Jure autem Codicis dabatur electio creditori, quem prius velit convenire. *l. 4. & 5. C. de fidejuss.* Sed novissimo Jure tenetur creditor prius convenire principalem, quem si repererit absentem, vel non esse solvendo, tunc fidejussorem præsentem exigere potest. *Nov. 4. cap. 1. Authent. præsentis. C. de fidejuss. Sneydw. ad §. 3. Inst. de fidejuss. n. 2. & 3. Hunn. ad Treutl. 2. 28. q. 37.* Incidit hic quæstio: *An fidejussor ad certum tempus, eo elapso liberetur?* Lex Rhodia statuit, non extinguere fidejussorem, sed debitorem teneri ad usuras. Jure Civili usuras nauticas ex mora non deberi, thesi præcedenti ex Borcholt. adductum est. Fidejussionem tamen eo jure non extinguere, exinde probat *Coler. de process. Execut. part. 1. c. 10. n. 288.* quod obligatus ad solvendum pro principali in certo termino, etiam post terminum teneatur. Et ad contrariorum reconciliationem *Dn. Hahn in observat. ad Wesemb. π. ff. de fidejuss. n. 5.* distinguit inter tempus obligationi vel solutioni adjectum. Illo casu, si quis fidejubendo obliget se ad biennium, eo elapso liberatur: Hoc casu quando obligatio jam est constituta, & fidejussor post annum solvere promiserit, eo elapso non liberatur.

Th. 23. Lex Rhodia decima nona Arrham perdere dicit eum, qui navi conductâ, postea eâ uti non opus habet. Sin Exercitor alicui navim locaverit, & adversus conventionem venerit, duplam arrham mercatori præstare debet.

Colligunt *Dd. ex l. 25. pr. ff. de contrab. empt.* Arrhæ dationem nihil

nihil quicquam facere ad obligationis substantiam. *Giphani. in pr. Inst. de empt. & vendit.* sed operari vel majorem probationem contractus, vel dari, ut simul arrha cedat in partem pretii. Priori casu sub amissione arrhæ pœnitere licet; posteriori non item. *Gothofred. ad d. l. 35.* Quæ maximè procedunt in Emptione & Venditione contractu nondum perfecto. *de quo vid. Dd. ad pr. Inst. de Empt. & Vendit.* An idem de Jure Civili in locatione & conductione obtineat, ut videlicet conductor arrham amittat, locator duplam restituat? quæstionis adhuc est. Sic quidem vult *Cujacius lib. 11. observ. 17.* & alii, quando arrham vocant vel venditionis, vel conductionis vel Nuptiarum, quem sequitur *Rittersb. ad pr. Inst. de empt. & vendit.* De Arrhæ emptionis & nuptiarum textus & Jura Civilia Romana quidem adducunt, non verò de Arrhæ conductionis, de qua *Cujacius d. l. allegat, legem nostram Rhodiam 19.* Ex alio tamen loco. *lib. 4. observ. 27.* ejusdem *Cujacii* colligo; Arrham de jure civili in locatione non intervenire. Quid autem hoc jure ad decisionem casus in h. lege 19. Rhodia positi, faciat, magis inspicienda est locorum consuetudo, svadenre *Loccen. de jur. marit. lib. 3. c. 6. n. 6.* quàm ipsa lex Romana, quæ si admitteret Arrhæ dationem in locatione & conductione, & tamen specialiter de ea nihil dispositum esset, tunc sanè ea rescripta hic locum habere, quæ circa arrhæ amissionem in emptione & venditione in jure nostro reperiuntur, ex emptionis & venditionis cum locatione & conductione convenientiâ, de quâ *in l. 2. ff. locat. cond.* assererem. Aliàs si locatio & conductio perfecta, & formam suam habet, ab ea non est recedendum, exceptis casibus quibusdam, quos vid. apud *Cujac. lib. 12. observ. 38.*

Lex Rhodia vigesima vult, ut instrumenta conductionis, quo rata sint, consignentur, quibus pœnas quoque inscribere permittit: Si verò scripturæ non factæ, & conductor fefellit, si nihil mercium causâ dederit, Exercitori dimidium naulum solvat: Exercitor autem fallens condu-

tori medium præstet; Mercator verò volens eximere merces integrum naulum solvat; Pœnarum porrò exactio quasi per vendicationem fiat.

Locationis & conductionis contractus, jure civili solo consensu constituitur *pr. Institut. de obligat.* non igitur literas intervenire necesse est, quamvis instrumenta ad meliorem contractus probationem confici possint. *l. 24. C. locat.* Quæ an necessariò requirant appositionem sigilli ? quæritur ; Lex Rhodia hoc affirmat. *Wesemb. verò in π. ff. de fid. instrum. n. 5.* in publicis non requirit subsignationem, sed in privatis instrumentis. Quoad prius tamen *Gail. 2. observat. 43. n. 3.* *Ayres in process. hist. lib. 1. cap. 9. observ. 9. n. 43.* *Trentl. vol. 2. disp. 5. th. 3. tit. f.* non sine ratione dissentiunt, quibus adde *Mynsing. ad tit. de fid. instrum. cap. 1. n. 18.* *Rosbach. in prax. civ. tit. 62. n. 5.* Pœnæ quoque nomine in locatione & conductione aliquid stipulari posse patet *ex l. 54. §. 1. ff. locat. Covarruv. 2. variar. resolut. 15. n. 4.* Contractu verò locationis perfecto nemo impunè ab eo recedere potest, sed contractum vel tenetur adimplere, vel juxta legem Rhodiam dimidiam partem mercedis præstare. Lege autem civili recedentem, ad id quod interest, alteri parti teneri *ex l. 15. §. 8. l. 24. §. 4. ff. locat.* colligo. Sed in hoc, quod Mercator, absque causâ excedere navim & exonerare merces volens, ad totam vecturæ mercedem teneatur, Jus Romanum. *in l. 24. §. 1.* consentit, juxta quam legem quoq; Senatium Academicum Helmstadii judicasse scribit *Dn. Hahn. in obser. ad π. Wesemb. ff. de locat. & cond. n. 25.* Vindicantur quidem de jure civili res nostræ, ab omnibus qui tenent, & restituendi habent facultatem. *l. 9. ff. de rei vind.* Pœnæ tamen non petuntur actione reali, sed personali. Hinc legis Rhodiæ de pœnis quasi vindicandis hæc facienda erit interpretatio : Si quid pœnæ loco à contractum non servantibus aliquid stipulatum fuerit, & vel dies contractui appositus cesserit, vel conditio extiterit, tanta sit potestas ejus, cui debentur pœnæ, ut eas quasi vindicare possit; magis tamen analogicè, quàm verè.

TH. 24.

Тн. 24. Legis Rhodiæ vigesimæ primæ quæ-
stio est : Quantum locius socio damnum passo
contribuere debeat? Et id servandum jubet, quod
inter socios pactum & in scripturas redactū est.
Quod si verbis tantūm societas contracta, & nihil
prætereà actum, incolumis damnum passo quar-
tam partem restituere debet.

Tota hæc lex de jure civili versatur circa formam societatis,
utpote quæ hoc jure singularem nullam habet, cum consensu
constet. *Wesemb. ad tit. ff. de societ. n. 6.* Sive igitur verbis fiat,
sive scripturâ, sive per Epistolam, sive purè, sive ex tempore,
sive sub conditione, nihil interest. *l. 4. l. 71. l. 1. ff. pro socio.* Illud
quoque ad formam societatis pertinere videtur, quomodo lu-
crum & damnum sit communicandum, ut docet. *Dn. Hahn. in
observ. ad Wesemb. d. n. 6. pro socio.* & concludit cum lege Rhodia,
illud esse servandum, quod inter partes expressum est §. 1. *Inst.
de societ.* Modo conventio non sit contra substantiam contra-
ctus ut in *l. 29. §. ult. ff. pro socio.* Si nihil inter partes expressum
fuerit, id actum intelligitur, ut partes lucri & damni æquales
sint. *l. 29. pr. ff. pro socio.* quod sic vulgò & rectè contra Cona-
num *lib. 7. Comment. c. 13.* accipitur, licet ea, quæ conferuntur,
æqualia sunt; Cæterum si inæqualis fiat collatio, pro ratâ quo-
que ejus, quod quisque contulit, partes fiant *l. 3. C. eod.* nisi o-
pera unius tam pretiosa sit, quàm alterius pecunia §. 2. *Inst. de
societ.* qui enim artem operamvè præstat, non minus præstare
creditur, quàm qui ipsam pecuniam. *Vin. add. §. 2. n. 3.* Hoc
casu igitur collatio potest esse inæqualis. Jus Civile quidem
nullam certam partem damnum passo socio assignat, sed in du-
bio utitur arbitrio boni Viri, qui collectâ operâ & industriâ
cum pecunia æqualitatem lucri & damni constituit, secundum
l. 6. ff. pro socio. Quomodo autem hæc proportio, an Arithme-
ticè vel Geometricè, fiat, disputat *Dn. Hahn. ad Wesemb. loc. cit.*
& contra *Wesemb.* aliosque concludit, hanc proportionem
esse verè Arithmeticam.

Lex



Lex Rhodia vigesima secunda est. Si mercator totam navim oneraverit, Exercitori injungere potest, ut ipse nihil imponat præter aquam, commeatus, & quæ ad navim necessaria: nisi adhuc locus super sit. Alioquin si vetante mercatore aliquid imposuerit, & jactus secutus fuerit, damno erit exercitoris. Non vetante autem mercatore contributioni erit locus.

Constat ex *l. 11. §. fin. ff. locat.* Culpâ non carere eum, qui contra pacta agit. Eum igitur de jactu & omni damno teneri, qui vetante mercatore per impositionem plurium mercium navim plus æquo oneravit, ipsa conventionis natura arguit. Cum & juxta *Stypman. de jure marit. part. 4. c. 10. n. 211.* culpâ non careat, qui navim plus justo oneravit, quanto magis igitur tenebitur, qui expressæ prohibitioni contravenit. *arg. l. 20. §. 1. ff. de oper. nov. nunc.* Cur autem mercatore non vetante contributioni est locus? Ratio est, quod ipse mercator, qui præsens est, ac plus justo videt onerari navim, quodammodo inculpâ est, si non contradixerit; præsens enim & non contra dicens consentire videtur. *Peck. ad l. 10. §. 1. ff. ad L. Rhod. de jactu. n. 2.* Quocirca damnum in contributionem venit, quod aliàs solius esset Exercitoris, vel Magistri navis, qui, licet possit aliquid facere in navi suo, quod in pacto non est expressum, faciat tamen id sine damno & periculo alterius, imprimis qui jus quæsitum habet. *Loccen. de jure marit. lib. 2. c. 8. n. 10. in fin.* Nihil verò impediunt ea, quæ dicta sunt, quo minus nautæ modicum aliquod onus imponant, imprimis ubi locus superest. *Stypman. de jure marit. part. 3. c. 6. n. 25. 26.* & tutò quilibet ea, quæ victus & commeatus gratia inferre necesse habet, imponere potest. *l. 2. §. 2. ff. ad L. Rhod.* quæ autem victus nomine veniant, *vid. Stypman. d. l.*

Th. 25. Lex Rhodia vigesima tertia ea vult esse

esserata, quæ acta inter Exercitorem & Mercatorem & in scripturam redacta sunt. Hinc qui navim conduxit, cum promisso totam eam onerandi nec fecit, plenam nihilominus mercedem solvere, necesse habet.

Cum per scripturam facile quod actum est, probetur *l. 4. ff. de fide Instrum. l. 4. ff. de pign.* nonnunquam Jus civile respicit id, quod re actum est, in scripturam, quamvis ad contractuum essentiam rarò requiratur. Quâ ratione, si ex scriptis vel etiam aliunde appareat, Mercatorem navim conduxisse cum conditione, totam eam onerandi, pacta conventa servabit necesse est. *l. 1. § 7. ff. de pactis.* Nec solum ex pacto convento secundum jus civile obligatur mercator, sed & ex speciali legis dispositione in *l. 10. § ult. ubi gl. ff. ad L. Rhod. de factis. adde Loccen. de jure marit. lib. 3. cap. 6. n. 7.*

Th. 26. Lex Rhodia vigesima quarta hæc est: Mercator solvit Exercitori dimidium naulum, quo accepto cum navigaret Mercator, sed propter impedimentum aliquod reverti volens, perdit datum dimidium naulum. Exercitor verò pactis scriptis contraveniens duplum dimidii nauli solvit.

Ad quid de jure civili teneantur, qui volunt recedere à contractu locationis & conductionis, supra th. 23. dictum est, quamvis recedentes à contractu juxta eam legem magis voluntariè & dolosè hoc facere videantur. Hoc casu verò videtur aliqua adesse necessitas impulsivâ, quare mitior pœna Mercatori hac, quàm illâ lege imponitur. Alioquin jure civili, qui operas locavit, totius temporis mercedem accipit, si per eum non steterit, quo miuùs operas præstet, uti expressa verba sunt. *l. 38. ff. locat.* imò competit statim actio contra eum, qui fundi locati

E cul-

culturam ad quinquennium ante tempus deseruerit. *l. 24. §. 2. ff. locat.* Et conductor omnia secundum legem conductionis facere debet *l. 25. §. 3. ff. eod.* quæ sicut conductorem sub pœna dimidii nauli astringit, ad servandum contractum : ita Exercitorem fortiori & quidem pœnâ dupli ligat ad contractus perfectionem ; Ratio autem, cur Exercitor duplum præstat, videtur esse hæc : Quod multum interfit Mercatoris, merces justo tempore ad loca destinata deferri. Sed jus civile non habet ratione locationis, nec conductoris, contra enim, qui à contractu perfecto recedit, actionem pollicetur, ad id quod interest, ea non esse subsecuta, quæ erant præstanda & sine impedimento vis majoris perfici poterant. *l. 35. 36. & 37. ff. locat.*

Lex Rhodia vigesima quinta Mercatori injungit, ut, si per eum steterit, quò minus navigaretur, ipso die instrumentis inscripto, post decem dies nautis cibaria præstet : Altero verò termino effluxo solvat naulum, & exeat. Vel si summam naulo addat, poterit navigare, prout ei visum fuerit.

Specialia, quæ hac lege enarrantur, non ita formaliter decedit Jus Romanum, sed ut plurimum respicit ad id, quod interest ejus, qui non fuit in mora : ita ut Mercator, qui promisit ad ad certum tempus inferre merces in navim, nec id fecerit, illud temporis & lucri dispendium præstare necesse habeat *Loccen. de jure marit. lib. 3. cap. 6. num. 8.* ubi de eadem dispositione legum nauticarum Hanseaticarum *art. 12.* testatur. Magistri quidem navis officium est, ut navim expediat, eique de annona prospiciat, quod sitamen ex mora mercatoris navigare non possit, ejus necesse sit damnum, qui fuit in morâ vel culpâ, ut patet ex thes. præced. Ratio autem cur affluxo altero termino totum naulum solvere, & navim excedere debeat Mercator, videtur esse hæc : Quod ejus temporis spatio favente vento navis ad loca destinata commodè pervenire potuisset, & sic lucri & mercedis cessantis refusionem Exercitor meritò à mercatores

rore exigit. Vel potius dicerem, tantam pœnæ loco æstimationem legem Rhodiam admittere contra eos, qui conventionibus bonâ fide initis temerè contraveniunt. Cur autem aucto nauulo Mercator pro lubitu navigare possit, porrò quæritur? Secundùm novam conventionis formulam fieri hoc puto.

ТН. 27. Lex Rhodia vigesima sexta vult. Si Exercitor vel nautæ quidem foris vel extra navim cubaverint, eorum sit damnum, qui foris cubaverunt, non qui in navi manserunt. Quorum enim negligentia vel culpa damnum accidit, eorum erit quoq; illud resarcire.

Regulariter quidem ad casus fortuitos nemo tenetur, quia humanum consilium eos providere nequit. *l. 2. §. 7. ff. de administr. rerum ad civit. pertinent.* quibus tamen curâ alicujus rei commissa est, & vel dolo malo, vel culpa, vel ex negligentia tantam rei servandæ gratia non adhibuerint diligentiam, quantam diligens & cautus rebus suis adhibere solet, non videtur planè excusari posse à præstatione damni, quod negligentia ejus accidit. Talis enim diligentia requiritur à depositario. *l. 32. ff. depositi.* Major à locatore. *l. 9. §. 3. ff. locati.* Procuratore, negotiorum gestore, mandatario &c. ita ut dura non sit Lex Rhodia, quâ foris cubantes puniuntur refusione omnis damni; Lex autem de Exercitoribus & nautis loquitur, sed addi possunt Magistratus, aliiq; quibus cura alicujus rei demandata est, quorum supinam negligentiam abesse, exactissimam verò diligentiam adesse, necesse est. Sicut enim fullo tenetur, qui vestimenta accepit, ea que mures postea roserunt. *l. 13. §. 6. ff. locat.* ita Exercitor, vel Magister cui navis cura demandata est. Non autem videtur esse sine omni culpa, si egrediatur navim & foris cubaverit, *vid. Petr. Greg. Tholosan. in Syntagm. Jur.* Bonus enim paterfamilias rebus suis ipse solet adesse, vel aliis earum custodiam demandare. Tunc verò culpa demùm abesse dicitur, quando facta ea sunt, quæ diligentissimus quoque observaturus fuisset. *l. 25. §. 7. ff. locat.* Huc refer ea, quæ



supra de receptis dicta sunt. Illud quoque extra controversiam est, eos teneri ad damni restitutionem, quorum dolo & culpa damnum accidit, & quidem de re nautica est textus in *l. 10. §. 1. ff. ad leg. Rhod. de Jactu. vid. Loccen. de jure marit. cap. 9. lib. 3. num. 8.*

Lex Rhodia vigesima septima talis est. Si navis solvat cum mercatoris vel societatis mercibus, eamque perire contigerit, extra periculum sint merces finitis in locis positæ. Si verò quæ periisse tempestate coortâ testibus probatum fuerit, cum navi reliquæ merces in contributionem veniant. Dimidium tamen navium exercitor sibi retineat. Si quis porrò societatem inficiatus, tribus testibus convictus fuerit, partes societatis solvat, & inficiationis pœnam patiatur.

Non percipio quæ sit mens legislatoris in principio hujus legis, quando, si solvat Exercitor cum alienis mercibus, extra omne periculum vult esse merces finitis in locis positas. Hoc propter sequentem paraphrasm verisimile videtur, de contributione quæstionem incidisse talem; Exercitor cum mercibus quas vehebat solvit suo creditori, navi perditâ cum Mercatores res suas repeterent, an eas contribuere debeant? Et affirmari videtur, quia ea merces excipiuntur, quæ finitis in locis positæ sunt. Nihil in hoc casu dubio juxta jus civile decido, sed rectius sentientis judicio lubens accedo. An autem ea, quæ de navi supersunt, cum mercibus salvis in contributionem veniant? Decidit hunc casum quidem Lex Rhodiâ affirmative. Verùm secundum jus civile, quæ circa contributionem observanda, ante omnia ex thesi 19. huc repetenda sunt, & concludit jus civile, amissæ navis damnum collationis conforcio non farciri *l. 5. pr. ff. ad L. Rhod. de Jactu.* Si autem malo cæso merces & navis liberarentur, æquitas collationis habebit locum.

cum. d. l. 5. §. fin. aliàs nave fractâ cessat collatio l. 2. §. 1. ff. ad L. Rhod. de Jactu. Quid, si navis vel merces perierint, an nihilominus nautum debeatur? Dimidium Exercitorem sibi servare posse Lex Rhodia concludit: Jure civili quidam totam vecturæ mercedem deberi volunt, si casu fortuito navis vel merces perierint. l. 38. ff. locat. l. 10. C. de condict. ob caus. dat. Sed cum casus fortuitus non debeat alteri nocere, alteri prodesse, merito damnum datum quilibet æquo animo pro rata ferat. Æquitas tamen non admittere videtur, ut Magister navis vel exercitor vecturæ mercede in totum careat, sed pro rata temporis, quo munere vehendi functus non est, & pro quantitate servatarum Mercium. Loccen. de jure marit. lib. 3. c. 6. n. 11. Negantes porrò societatem, & convictos lex Rhodia partes societatisolvere jubet, & inficiationis pœnam: Hoc casu jure civili agendum puto ad id, quod interest l. 65. §. 5. ff. pro socio. sicut enim datur pro socio actio, cui intempestivè renunciata fuit societas, ad id quod interest. l. 14. ff. pro socio. Ita nec contra eum deneganda, qui dolosè societatem bonâ fide contractam negaverit; quâ autem pœna illud mendacium puniendum, nec Lex Rhodia, nec lex civilis expressè decidit. Heredi, qui se ex quadrante heredem esse mentitus erat, hæc pœna imponitur, ut videlicet in solidum teneatur, cum aliàs pro parte teneretur. l. 11. §. 2. ff. de interrog. act. Indelicis Mendax quandoque tenetur ad duplum. l. 23. §. pen. ff. ad L. Aquil. In reali actione qui negat se possidere, & convictus fuerit, perdit possessionem, quæ à Judice in adversarium potest transferri; licet eam suam esse non probaverit. l. fin. ff. de rei vind. Excludo sic supinam ignorantiam, & de illo mendacio loquor, quod pronunciaturs falsâ significatione vocis, cum intentione fallendi gl. in l. 11. ff. de interrog. act. & hujus mendacii convictum pœnâ infamiæ quoq; posse puniri concludo ex iis, quæ habet Bart. in l. 7. §. fin. ff. de dolo malo. ubi dicit Mendacem de dolo teneri; de dolo autem condemnatus fit infamis. l. 1. §. 5. ff. de his qui not. infam.

TH. 28. Lex Rhodia vigesima octava, incendium, naufragium, & damnum omne eum præ-

E 3

stare

stare jubet, qui aliquod impedimentum attulit,
quo minus certo tempore navis ex portu naviga-
re potuerit.

Qui dolo fecerit, quo minus navis è portu certo die solvat,
quin de damno teneatur, dubium non est: sed si mercator for-
tè impeditus statuto tempore navigationis non adsit, an ille
statim ad damnum teneatur, dubium est ex ipsa Lege Rhodiã
15. ubi Exercitori permittitur, ut tempore navigationis celeus-
ma faciat, quo facto sive egressi veniat, sive non, poterit tuto
navigare; idem posset dici de hoc casu, quando die statuto, &
celeusmate facto non venierit Mercator, ut Exercitor relicto
Mercatore navigare possit. Sed cum dissimiles planè hujus &
& illius legis sint casus, hanc legem decidendam puto. *arg. l. 10.
§. 1 ff. ad L. Rhod. de fact.* hoc modo: aut damnum accidisset, li-
cet Mercator justo tempore venisset, & tunc eum non tenere
damnum præstare: aut solum impedimentum mercatoris fuit
causa damni, & tunc in totum non excusabitur.

Lex Rhodia vigesima nona sancit; Omne
damnum navis esse mercatoris, qui certo loco &
statuto aliquo tempore navim non oneravit, si
damnum accidat post elapsum terminum: si ante
effluxum terminum accidat aliquid, ad contribu-
tionem veniendum.

Quæ de damno, per morã mercatoris dato in hac lege propo-
nuntur, an secundum jus civil. quoq; ita simpliciter procedant?
videndũ. Potest huc quoad impedimentum Mercatoris repeti
legis præcedentis resolutio. Et circa moram mercatoris, utrum
ea sola in causa sit damnum esse datum, non immeritò quæri-
tur? Aliàs si fortè vis major, vel procellarum impetus impedi-
ret, quo minus navis è portu elicere possit, non foret æquum
damni restitutionem à mercatore exigere. Sicut nec eo casu,
quando impedimenti sui sufficientissimas & legitimas causas
adduceret; non dicitur enim in mora esse, qui legitimè impedi-
ditus

ditus est *l. 23. ff. de usuris*. Lex Rhodia autem Mercatorem exinde damnat, quod se sub hâc pœnâ obligaverat : quo casu tamen, nec legis civilis æquitas patitur mercatorem condemnari *arg. l. 9. §. 3. ff. locat.* nisi omnem casum fortuitum mercator in se receperit juxta *d. l. 9. §. 2. ff. locat.* Cur autem æquitas contributionis habeat locum, si damnum datum ante terminum effluxum acciderit? Non video, quo collimet lex, nisi & alias merces, præter hujus mercatoris, impositas habeat, quæ sub contributionem venire possint. Etsi quoque alias merces habeat, non statim tamen Jus Civile contributionem admitteret, propter navim, incendio vel naufragio perditam, vel à piratis captam. Quæ enim incendio pereunt, non statim collationis consortio refarciuntur. Est enim incendium vel culpatum vel inculpatum. Hoc, quod casu fortuito vel divinitus fulmine & nonnunquam radiis solaribus excitatur, nemini potest imputari, nec reliquorum bona contributioni sunt obnoxia; sibi enim servat, quod quisque ex naufragio vel incendio servare potest. *l. 7. ff. ad L. Rhod. de jactu*. Illud nempe culpatum sive juxta *Vultej. lib. 1. discept. Scholast. cap. 75.* sit malitiæ, sive imprudentiæ, ei imputandum, cujus culpa vel imprudentiâ excitatum. Naufragio factò de Jure Civili quoque contributionem non habere locum supra *ex l. 5. ff. ad L. Rhod. de jactu* probatum est. Sin vero navis à piratis capta, & ab iis redempta sit, omnes conferre debent. *l. 2. §. 7. ff. ad L. Rhod. de jact.*

TH. 29. Lege Rhodiâ trigessimâ quæritur: An mercibus salvis mercator pecuniam quam secum habet contribuere debeat? Et respondetur quod non: Sed possit eam solutis decimis auferre. Item, an si mercator solus evaserit, nautum solvere debeat? Et sub distinctione respondetur: aut nullo præhenso navis instrumento evasit, & dimidium solvere debet: aut arrepto navis instrumento evasit, & quintas inferat necesse est.

Brevi

Breviter ad prioris quæstionis decisionem ex jure civili adduco, illud hîc dissentire à lege Rhodia, eoque jure pecuniam numeratam quoque contributioni obnoxiam esse, ut patet *ex l. 2. §. 2. ff. ad L. Rhod. de jact. ibique. Vin. in Pecki, ad legem banc. Loccen. de Jure marit. lib. 2. c. 8. n. 5.* Posterioris verò quæstionis resolutio ex lege Rhodiâ facta est, secundum instrumentorum formulam & pacta conventa. Secundum Jus Civile non attento dimidio naulo, vel quintâ parte pro temporis spacio, quo vehendi munere functus est exercitor, & pro mercium quantitate tantam portionem pro vecturâ ei assignarem, quantum vir bonus & peritus ex æquo & bono arbitratus fuerit, juxta ea quæ dixi ad Legem Rhod. 27.

Lex Rhodia trigesima prima hæc est: Si mercator navim oneraverit, & navi quid acciderit, omnia quæ salva sunt in contributionem veniant. Quod si pecunia conservetur, quintas solvat. Exercitor vero cum nautis operam ferat, ut servetur.

Peckius ad l. 1. ff. ad L. Rhod. de jactu act. Indignum Jurisconsultorum arbitratum esse, cum de omnium, qui in navi sunt, capite æqualiter agatur, alterum gratis, alterum verò cum ingenti mercium jactura, & in quibus tota sæpè mercatoris fortuna posita est, incolumitatem adipisci. Hinc optimâ æquitate constituit, ad id quod omnes salvat, omnes quoque contribuere debere. Hoc vult principium hujus legis Rhodiæ; & de Jure Civili *d. l. 1. cum aliis, ff. ad L. Rhod. d. jactu.* Dubitatum autem fuit aliquoties: An omnium rerum collatio ad contributionem jure exigì possit? De qua quæstione vid. *Dd. ad l. 2. §. 2. ff. ad L. Rhod. de jactu.* De pecunia non conferenda, sed ejus loco pro conservatione quintas solvendas, hæc nostra lex loquitur: Præcedens verò decimam solvere jubet. Quid verò Jure Civili obtineat, lege præcedenti indigitatum est. Sedulè quoque Exercitor laborabit, ut damnum avertat, aliàs facile culpæ reus fiet, si ea non præviderit, quæ prævidere debebat: *l. 30. §. 3. ibique gl. ff. ad L. Aquili. l. 31. eod.* Lex

Lex Rhodia trigesima secunda est: Si onerata nave, & soluto naulo, vel inita societate mercator discesserit, & casus marinus acciderit, dimidium naulum mercator repetere non potest, & quæ salva sunt in contributionem veniunt. Si verò mercator præ manu quid mutuo dederit, scriptæ conventionis formula rata sit.

Quin de Jure Civili contributio habeat locum non dubito, non autem circa repetitionem nauli determinat certam quantitatem, sed eam vecturæ mercedem repetere concedit, quam nauta pro mutua acceperat, cum munere vehendi functus non sit. *l. 15. §. 6. ff. locat.* Non obstat. *l. pen. §. ff. eod.* Nam ibi adest culpa; hic autem casus fortuitus. Mutuum de Jure Civili scripturam non desiderat, sed consensum. *l. 32. ff. de Reb. Cred. & rei dationem, hoc est dominii translationem. Wesemb. ad tit. ff. de Reb. Cred. n. 12.*

TH. 30. Lex Rhodia trigesima tertia est: Si merces deposuerit exercitor in loco, quò convenit, & navi quid acciderit, naulum integrum exercitor à Mercatore consequatur; Merces autem exoneratæ unà cum navi à vectoribus securæ sint; Quæ verò in navi in contributionem veniant.

Sufficiant dixisse de naulo, an debeatur si navis perierit, ne ea quæ ad *l. 27. 30. & 32.* dicta sunt, hîc repetantur. Quamvis enim navis impedita, ita ut detineretur absque culpâ nautarum per aliquot menses in aliqua provincia, onus quoq; impositum commisso tollatur, nihilominus merces præstanda, & naulum solvendum est *Zuchæius de jure navis. part. 1. sect. 9.* An autem merces exoneratæ ante jactum in contributionem cum navi veniant? Affirmo cum *Vinn. in not. ad Peck. l. 4. pr. ff. ad L. Rhod. si*

F

merces

merces navis levandæ gratiâ exoneratæ sint, ac nisi exoneratæ essent, majus damnum accidisset. *arg. d. l. 4. §. 1. ff. od L. Rhod.*

Lex Rhodia trigesima quarta Exercitori injungit, ut bona segestra habeat, nec merces made-
fiant. Et si navim sentina oppleverit, signifi-
cet Mercatoribus, ut merces exponant. Sin nautæ
exercitori hoc non patefecerint, damnum inde
datum exercitori & nautis sit. Quod si Merca-
toribus denunciaverit sentinam esse oppletam, ac
merces exponi debere, damni accepti nomine
non tenetur.

Refert hanc legem *Vinn. ad Peck in l. 4. §. 2. ff. ad L. Rhod. de
factu* eique convenire *art. 42. & 44. legum maritimarum Caro-
li V. testatur. Loccen. quoque lib. 3. c. 8. n. 13. de jure marit.* ubi et-
iam culpæ nautarum ascribit, si non benè stipârint & picârint
navim, aut non benè asservaverint merces. Non reperio jus
civile contrariari huic legi; Sed id potiùs confirmare, quando
disponit, quod Exercitor, licet ipsi nautæ non indicaverint, u-
nà cum nautis de damno ex Sentina mercibus dato teneatur.
Aliquatenus enim culpæ reus est, qui operâ malorum homi-
num utitur. *§. ult. de oblig. que ex quas. delict.*; & sicut nautæ
propter negligentiam tenentur, ita non excusatur exercitor
per ejus ignorantiam, cujus officium erat, curare, ut omnia sal-
va sint in navi, propterea si fecisset id tantum, quod in custodi-
endis mercibus fieri solet, culpâ vacâret. *gl. ad l. 52. §. 4. ff. pro
socio. adde Vinn. in Peck. ad l. 2. §. penult. ff. ad L. Rhod. de fact. lit.
B.* Limitatur autem hæc conclusio in ipsa lege Rhodiâ, hoc
modo: nisi Exercitor denunciaverit Mercatoribus, ut ob sen-
tinam oppletam exponant merces. Pro decisione hujus asser-
tionis ex jure civili adduco textum *in l. 13. §. 7. ff. locat.* ubi con-
ductor tempore incursum hostium migrare volens priùs hoc
teneatur denunciare, si possit. Multò magis igitur Exercitor
denunciabit, ejusque denunciationi si Mercatores non parve-
rint,

runt, meritò damni accepti nomine non tenebitur, nisi culpam
ejus vel dolum probaverint.

TH. 31. Lex Rhodia trigesima quinta talis est:
Si navis jactum fecerit arbore vel casu amissâ vel
cæsâ, nautæ omnes, & Mercatores, & merces, &
navis in contributionem conservata veniant.

Ab hac Lege Rhodia jus civile aliquo modo recedit. Si enim
conservatis mercibus deterior facta sit navis, nulla facienda est
collatio. *l. 2. §. 1. ff. ad L. Rhod. de fact. l. 6. eod.* De Personis an
contribuere debeant vid. *ib. 18.* sed si arbor, aut aliud navis in-
strumentum communis periculi avertendi causa dejectum sit
contributio datur *l. 3. l. 2. §. 1. l. 5. & ff. ad L. Rhod. de fact.*

Lex Rhodia trigesima sexta est: Si navis veli-
ficans in aliam navim in portu quiescentem, vel
quæ vela laxaverit interdium delata fuerit: omnis
tam collisio, quàm interitus ad Exercitorem pa-
riter & ad ipsos vectores spectat. Ac reliquum
est, ut & merces in contributionem veniant.
Quod si res noctu acciderit, qui vela laxaverit,
ignem accendat. Si ab igne destituatur: clamo-
res edat. Quæ si facere neglexerit, & navim per-
ire contigerit, se ipsum perdidit, modò testimo-
niis hæc in hunc modum probata fuerint. Quod
si veli curator negligens fuerit, & excubiis agendis
præpositus obdormierit: qui passis velis navigat,
velut in brevia delatus perit, & damnum ei præ-
stet, in quem impetum fecit.

Varias ex hac lege possem depromere quæstiones & con-
troverfias, cum verò hæc omnia magis facti sint, quàm juris

examinationi Domini Judicis, vel Rei nauticæ peritissimorum,
eorumque decisionibus pro cujusque loci consuetudine subji-
cio, quo etiam collimat *Vinn. ad l. 5. ff. ad Leg. Rhod. de fact. in-
notis ad Peck.* ubi Nonnulla legibus nauticis hodiernis
aliter sancita esse scribit. Primaria quæstio autem hujus le-
gis est. Quis damnum sentire debeat, & an contributio ha-
beat locum, si navis una aliam frangat? *Loccen. de jure marit.
lib. 3. cap. 9. n. 11. ut & Vinn. cit. loc.* non solum quid apud alios
populos obtineat, adducunt, sed & pro decisione hujus quæ-
stionis ex Jure Romano allegant textum *in l. 29. §. 2. & seq. ff. ad
L. Aquiliam.* Contributioni locum esse *Peck. ad d. l. 5.* non ad-
mittit. Damnum datum cujus sit variè allegata *lex 29.* distin-
guit. Si enim culpâ nautarum damnum datum, & cum nautis
lege Aquiliâ agendum. *d. l. 29. §. 20.* nec tantum cum ipsis nau-
tis, sed & cum Magistro, si navim minus idoneis hominibus
commiserit. *l. 16. §. 1. ff. de rei vind.* vel tempore minus idoneo
navigaverit. *l. 36. in fin. ff. eod.* & quidem actione locati. *arg. l. 13.
§. 2. ff. locat.* imò contra exercitorem actio institui potest, qui
non solum factum Magistri præstare debet, sed & curare debet,
ut nautæ culpâ & dolo careant. *l. 1. §. 2. ff. de exercit. act.* Si ser-
vi Exercitoris damnum dederint, tenetur iste actione noxali. *l.
7. §. 4. ff. naut. caup. stab.* Si navi tanta vis fiat, quæ temperari
non poterat, nulla competit in quemquam actio *d. l. 29. §. 4. ff.
ad L. Aquil.* Quodcunque igitur ex casu fortuito acciderit,
nemini quidem imputabitur; Sedulam tamen curam Magister
navis adhibeat, qui præ cæteris præstare debet diligentiam &
solicitudinem iis, quibus præest, (Unde etiam Magister dici-
tur. *l. 57. ff. de V. S.*) caveatque ne per suorum fraudes, impru-
dentiam, incuriam, aut per temulentiam occasio cuicunq; pe-
riculo præbeatur. *Loccen. de jur. marit. lib. 1. cap. 1. n. 9.* Obser-
vari autem hîc insuper potest, quod si quis falso lumine navi-
gantes seducit, & morti causam præbet, meritò quoque poenâ
mortis afficiatur. Occidisse enim intelligitur, qui mortis causam
quolibet modo præbuit. *l. 51. ff. ad L. Aquil. l. 15. ff. ad L. Cor-
nel. de sicar.*

Lex

Lex Rhodia trigesima septima, ejus est tenoris. Si navi quid acciderit, & mercatorum vectorumq; rebus salvis, ipsum navigium perierit, res quæ salvæ supersunt quintas decimas præstent; sed Mercator atq; vectores navim exercitori non solvunt.

Pugna videtur esse inter hanc legem 37. & alias multas præcedentes, quibus Lex Rhodia navis damnum semper collationis beneficio vult resarciri. Hac lege autem perditum navigium solutionem non exigit. Sed res eodem recidit, quando quintas decimas rerum, quæ salvæ sunt, solvere lex jubet. Nihil in Jure Romano de decimis rerum è naufragio servatarum invenio. Illud ex hoc jure certum est: Amissæ navis damnum collationis consortio non sarciri per eos, qui merces suas naufragio liberârunt, per *l. 5. ff. ad L. Rhod. de fact. Wesemb. in π. ff. ad hunc tit. n. ult. Loccen. de jure marit. lib. 2. cap. ult.*

TH. 32. Lex Rhodia trigesima octava est. Si navis onusta frumento correpta fuerit tempestate, exercitor segestria præbeat, & nautæ sentinam exhauriant. Si negligentes fuerint, nautæ damnû præstent. Si à tempestate merces detrimentum acceperint, id damnum exercitor, & nautæ, & Mercator simul agnoscant: eorum verò centesimas, quæ salva supersunt, exercitor unâ cum navi & nautis accipiat. Quum autem jactus in mare faciendus est, mercator primus jacito, atque ita nautæ rem aggrediuntor. Postea tamen nemo nautarum aliquid rapiat. Si fecerit dupla præstet, ac lucrum omne amittat.

Principium hujus legis coincidit cum Lege Rhodia trigesima quarta, & pertinet ad eos, qui navi prepositi sunt, ut in conservandis mercibus summam adhibeant diligentiam. Sed cur Exercitoris sit damnum, & nautarum & Mercatorum, si merces à tempestate madefiant? Exclusâ culpâ vel negligentia Exercitoris vel nautarum, solius esse damnum Mercatoris *arg. l. 12. ff. locati statuo*. Nullam quoque video rationem, quare Exercitor & nautæ centesimas rerum servatarum accipere debeant. Potius mercator merces suas madefactas salvas habeat, ne duplici oneretur damno, & solvendo centesimas, & quod res ejus deteriores factæ sint. Utrumque enim onus ferre non debet, nec afflicto addenda est afflictio. Quæ porro de primò jactu ab Exercitore faciendo adducuntur, sunt magis consilii, quàm necessitatis; non enim semper tantum temporis spatium superest, ut omnia ordine fieri possent, ita ut Jus Romanum non tam consideret personas, factum facientes, sed ipsum periculum naufragii, & an jactus sit factus communis periculi avertendi causâ. Hinc etiam alienas merces projiciens tenetur Magistro navis ex conducto, & hic domino ex locato, ut damnum pro portione communicetur. *l. 2. pr. ff. ad L. Rhod. de jactu*. Licet quantum fieri possit, omnia ordine fieri debeant, juxta notata ad leg. 9. De eo quoque non est dubitandum, quin jure civili actione dupli teneatur, qui res tempore tempestatis vel ejectas, vel etiam ex iis, quæ salvæ adhuc manserunt, sub prætextu quasi jactæ essent, rapiat. Non solum enim talia bona rapientem furti vel dupli, vel quadrupli teneri *Loccen. lib. 2. c. 7. n. 5.* probat. Sed & graviori poenâ eos persequi posse, textus juris civilis *in l. 18. C. de furtis. l. 3. 4. 7. ff. de incend. ruin. naufr. l. 1. §. 1. 2. ff. de 17. privat. l. 3. §. 4. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* evincunt.

Lex Rhodia trigesima nona hoc vult: Si navis frumento, vel vino, vel oleo referta, exercitore sic volente, ac nautis vela laxantibus, adversante mercatore, quendam ad locum, vel in littus
appu-

appulerit, & navim quidem perire contigerit, onus verò, mercesvè conservari: nullum mercatori periculum ex jactura navis erit, quandoquidem ad illum locum adpellere noluit. Si vela faciente navi, mercator exercitori dixerit, ad eum locum necessariò sibi adpellendum, qui tamen locus instrumentis non contineatur, atque ita perire navim contigerit, salvis mercibus, mercator navim Exercitori salvam & integram præstet. Sin amborum voluntate perierit omnia veniant in collationem.

Quantum ex Legibus Rhodiis percipio, plerumque solent conventiones & pacta mercatorum cum Exercitoribus vel Magistris in scripturam redigi. Cui adversari bona fides non patitur. Eadem ratione Jus Civile rarò quidem ad essentiam actus alicujus requirere scripturam, supra probavi; si autem ea, quæ inter partes acta sunt, scriptis, vel aliundè probentur, nihil interest. A contractibus interim perfectis, & pactis conventis impunè Jus Civile neminem recedere patitur, nec semper requirit in contrahendo, omnes exprimere casus, quibus actus potest esse obnoxius. Sed quæ natura conventionis requirit, semper præstanda sunt. Sicut in propositâ Lege Rhodiâ: Si Exercitor in Italia mercibus Nicomediam transportandis navim oneraverit, & Rhodum navigaverit, quicquid damni in via devia passus fuerit, solius erit Exercitoris *arg. l. 5. C. de Navicul.* nisi per tempestatem ad loca devia sine suâ culpâ delatus sit *arg. l. 16. §. 8. ff. de public. & vectig.* Idem Juris à contrario in mercatore statuendum, si eo volente navis Exercitor ad loca devia navigaret. Hic tamen requirerem contradictionem Exercitoris, aliàs consensisse eum in locum, pactis vel scriptis non comprehensum, præsumitur. Quo casu damnum datum, juxta æquitatem collationis, simul cum mercatore agnoscere debet. Lex

Th. 33. Lex Rhodia quadragesima est : Si navim acciderit perire naufragio, salvâ tam mercium, quâm navis parte : siquidem vectores aurum vel argentum, vel holoserica, vel uniones, vel magni pretii lapillos secum portant, aurum conservatum decimas præstet, argentum quintas pendat : holoserica verò, si absque madefactione conservata fuerint, decimas solvant, velut auro-
paria. Sin madefiant detrimentum & madefactio detrahatur, atque ita in collationem veniant. Uniones autem, prout æstimati fuerint, onus auri exæquantes navis exitium compentent.

Quæ res in contributionem veniant, tradunt Doctores in l. 2. §. 2. ff. ad L. Rhod. de jactu. quas inter multæ sunt, quæ navim non onerant, nihilominus tamen & lege Civili Romana, & Rhodia, eas in contributionem venire necesse est. d. l. 2. Licet enim tempore Jactus merces majoris ponderis, & minoris pretii prius sint ejiciendæ *Loccen. lib. 2. c. 7. n. 4.* exinde tamen non liberantur reliquæ merces ab onere contributionis. Quia contributionis æquitas non dependet à ponderositate mercium, sed quod communis periculi avertendi causâ quædam merces sint jactæ, quædam servatæ. Sin autem jactarum mercium dispendium ad solos dominos pertineret : semper esset prædominatura mercatorum avaritia, volentes servare suas merces, & sic navis cum vectoribus & mercibus interire posset. Ne igitur damnum, quod pro omnibus datum, unus vel alter Dominorum rerum perditarum solus ferat, Æquitas introduxit, ut omnes, quorum interest, jacturam factam esse, cum eâ vita, res & navis eorum servatæ fuerint, conferant, sive leves merces, quibus navis non oneratur, sive ponderosas navi imposuerint. Quomodo autem æstimatio faciendâ earum re-
rum

rum, quæ navim non multum onerant, & pretiosa sunt? Lex Rhodia hic quædam recenset, uti aurum, argentum, lapilli, holoferica &c. ac cujusque rei servatæ certam summam loco contributionis solvere jubet. Jus Romanum speciebus singulis nihil certi imponit. Sed in iis rebus, quæ conferri debent, æstimationem admittit, tam rerum earum, quæ salvæ, quam quæ amissæ sunt; Ita ut lucri & damni semper aliqua proportio sit. Æstimantur autem res non quanti emptæ sunt, sed quanti venire possunt. *l. 2. §. 4. ff. ad L. Rhod. de jactu. ibique Vinn. in Peck.* qui hodiernam consuetudinem adjicit. Quæ verò res aspergine minoris pretii factæ sunt, ita conferantur juxta hanc legem Rhodiam, ut detrimentum & madefactio prius detrahatur. Callistratus autem *in l. 4. §. 2. ff. ad L. Rhod. de jactu* duplicem responsionem suppeditat, subtilius tamen cum lege Rhodia concludit, & detractâ mercium deterioratione contribuendum esse vult. *Peck. ad legem hanc & Vinn. ibid. in notis.* Uniones quoque & Margaritæ *sub lege 2. §. 2. ff. ad L. Rhod. de jactu* comprehenduntur, easque ad damnum datum in genere contribuendas esse existimo, non autem ad aliquarum mercium vel navis in specie compensationem, prout vult Lex Rhodia.

Lex Rhodia quadragesima prima est: Si vectores in navi navigent, eaque vel corrupta fuerit, vel perierit, rebus vectorum salvis, vectores ad sarcendam navis jacturam conferant. Sin duo vel tres vectores aurum suum, vel species amiserint, ab omnibus pro ratione facultatum damni æstimationem recipiant, veniente in collationem navigio.

Huic Legi derogatur per Jus Civile Romanum, quod navis amissæ damnum ad collationem non admittit. *l. 2. §. 1. l. 5. l. 6. ff. ad Leg. Rhod. de jactu Peckius ad has leges ibique Vinnius Loccen. lib. 2. c. 8. n. 17.* quia nihil communis periculi evitandi causâ factum

G

est,

est, aut si quid factum, nemini id prodest. Quæ de restitutione damni in lege Rhodia sequuntur, possunt Jure Romano admitti, modò navigium à collatione excludatur, & auri amissio per jactum sit facta.

TH. 34. Lex Rhodia quadragesima secunda est : Si navis onerata rimis fatiscat, & merces exemptæ fuerint, in exercitoris arbitrio sit, an eas isto navigio vehere velit, an illo, de quo cum mercatore convenerit, siquidem navis instructa sit. Sin instructa non sit, aliam verò navim exercitor offerat, usque ad illud Emporium, de quo convenit mercator naulum omne præstet.

Integram & benè instructam navim semper nauta præstare debet, aliàs culpæ ejus imputabitur, & propterea ad id tenebitur, quod conductoris interest. *l. 19. §. 1. ff. locat. l. 6. §. 4. ff. de act. empt.* Quare si ob negligentiam navis rimis fatiscat, & merces deteriores factæ sint, tenetur nauta vel Exercitor mercatoribus *Bart. ad l. 18. ff. Commod.* Quid si vitiosa apparens, mercator merces exemerit, poterit Exercitor ut totum naulum consequatur meliorem navim offerre, & nisi dolo malo, moræ reus sit, ita ut mercator in isto tempore ad locum destinatum pervenire non posset, naulum ipsi denegandum non est. Modicam enim incommoditatem conductor perferre debet. *l. 27. pr. ff. locat.* Et sicut liberatur locator domus ruinosæ, præstando meliorem, vel restituendo tantum mercedis, quantum conductor, pro aliâ habitatione solvit. *l. 28. ubi Bart. ff. locati.* quidni mercedem suam consequatur Exercitor, instructiorem navim offerens.

Lex Rhodia quadragesima tertia est : Si navi tempestate correptâ, & jactu mercium facto, antennarum cornua, malus, gubernacula, ancoræ, scaphæ,

scaphæ, fractæ fuerint, hæc omnia in contribu-
tionem veniant, unâ cum navis & mercium con-
servatarum pretio.

Derogatum huic legi esse *ex l. 2. §. 1. ff. ad Leg. de jactu testa-
tur Vin. ad l. 9. ff. eod.* Distinguit autem textus noster *in d. l. 2.
§. 1. h. m.* Aut navis instrumenta ejecta, vel malus casus volun-
tate vectorum, & amovendi periculum navis causâ, & contri-
butio habebit locum: Aut culpa vel negligentia nautarum,
vel etiam alius casus rerum deperditarum & fractarum causa
est, & non magis contributioni locus erit, quàm si faber incu-
dem, & malleum fregerit, quod ei non imputabitur, qui opus
locâvit. An verò navis, & quomodo mercès, vel instrumenta
navis in contributionem veniant, ex præcedentibus repete.

Lex Rhodia quadragesima quarta est: Si na-
vis merces vehat, & in tempestate vel arboris ja-
ctus fiat, vel fracta gubernacula fuerunt, vel per-
ditæ scaphæ: siquidem vi tempestatís merces hu-
mectari contigerit, hæc omnia in contributio-
nem venire necesse est. Sin merces magis ex sen-
tina, quàm à tempestate correptæ fuerint, nau-
la quidem exercitor accipiat, sed species eâ mensurâ
quâ traditas accepit, siccas reddat.

Supra ad Legem Rhodiam 24. dictum est, quomodo merces
sint custodiendæ, ne fluctuum inundatione corrumpantur;
Hac lege propter fractam navim, vel instrumenta ejus, vel
propter inundationem mercium, contributioni loco relinqui-
tur. Quod autem eodem modo Jus Civile non sequitur, ut
pluribus id *ex l. 34. 38.* aliisque supra relatis constabit. Hic non
prætermitto, quòd ea, quæ de navibus hætenus dicta sunt,
æquè de fluviatilibus quàm Marinis sint intelligenda. Quod
si igitur pluviali aquâ inundatæ merces hoc ipso deteriores

reddita sint, animadvertendum esse notat *Stracha de navig. part. 3. n. 51.* quædam navigia emphracta esse, quædam refracta, hoc est, quædam tecta, quædam aperta; Aut igitur tectum navigium mercator conduxit, & culpæ ejus imputabitur, si ob navim malè instructam merces deteriores factæ sint. *arg. l. 1. §. 1. ff. locat.* aut apertum navigium conduxit, & sufficit si Exercitor bona segestria præbeat, quibus merces tegat mercator, & si aqua nihilominus penetraverit, ipsi nihil imputabitur; hoc enim evenire posse, prospicere debet mercator & conductor *l. 9. §. 1. ff. locat.* De nautis dubium non est, quin si culpa eorum merces corruptæ sint, ex locato teneantur. Quid verò si ex sentinâ deteriores factæ; An nihilominus mercator mercedem, vel naulum solvat? Quidni, modò eâ mensurâ nauta merces siccas reddat, quâ traditas accepit, respondet Lex Rhodia. Et quidem cum Jure Civili Romanorum, ex quo jam ante probatum, nautam, priusquam è portu solvat, factam tectam præstare debere navem; postmodum verò quilibet damnum fortuito casu datum ferat. Si quæ deterioratio ob communem utilitatem acciderit, contributionis onus domini mercium exigere possunt. Sed hîc quæritur, quia quarundam mercium ea est natura, & qualitas, ut salissimas Oceani Undas recipientes penitùs destruantur, quis damnum ex sentina mercibus datum refarcire debeat? Resp. Nauta, & per consequens Exercitor, nisi sciens prudensque rimosam navim mercator ingressus fuerit, eique merces suas imposuerit. add. quæ supra ad L. Rhod. 34. dicta sunt.

TH. 35. Sequitur in ordine Lex Rhodia quadragesima quinta cui addo Legem Rhodiam ultimam quadragesimam septimam: quibus cavetur, ut ille, qui aliquid ex mari in terram rerum submersarum salvum exportaverit, mercedis loco quintam rei conservatæ partem consequatur, auri & argenti; si autem cubitis octo sursum la-
tum

tum fuerit, tertiam partem, sin à quindecim cubitis, semissem. Earum verò rerum, quæ à mari ejiciuntur in terram, & ad unum cubitum demersa reperiuntur, decimam partem accipiat is, qui eas exportat.


Curiosius hic inquirere, quantum Jus Romanorum mercedis loco constituat istiusmodi urinatoribus, supervacaneus esset labor. Cum mercedes ex conventionem ferè, vel ex regionum consuetudine constituentur. Sicut ea, quæ ad victum & alimenta nautarum pertinent, siquidem & hæc moribus reguntur, ut in Britannia nautæ unico ferculo cocto semel in die; Normannia duobus & bis in die contenti esse debeant: verba sunt. *Petri Gregorii Tholos. lib. 39. Syntag. Jur. Univers. cap. 12. n. 4.* De usu hodierno & mercede urinatorum, in Regno Dania, & Republicâ Belgicâ Novellarum hujus Anni iterata fuit relatio. Posse quoque justè peti præmium inventionis quod *Ulpian. in l. 43. §. 9. ff. de furt. ἐφευρεγν* vocat, æquum est; Et de hoc quoque præmio accipiendum, quod in hac lege Rhodia iis, quorum operâ & industriâ res conservatæ sunt, veluti urinatoribus qui ex mari extraxerunt, constituitur. *add. l. 4. §. 1. ff. ad L. Rhod. de jact.*

Lex Rhodia quadragesima sexta, heredibus nautarum, qui in mari perièrunt annuam mercedem solvere jubet, usque dum integer annus exactus fuerit: Qui lintrem servat restituat omnia quemadmodum reapse invenerit, mercedis loco quintam partem accipiens.

Non minus hanc legem, quàm. *l. 45. & 47.* secundùm consuetudinem cujusque loci applicandam esse arbitror; imprimis quod posterius membrum hujus legis. Prioris membri ratio posset esse hæc; Quod iis imprimis naviculariis, qui An-

nonæ Urbis serviunt, multæ debeantur; immunitates, & jam dudum placuit eorum remuneranda esse pericula, qui peregre cum labore & periculo Reipublicæ inserviunt. *Zuchaus de jur. naut. part. 1. sect. 4.* Hinc tales navicularii vacationem à muneribus habent. *l. 3. ff. de vocat. mun.* Immunitates autem hæc de Jure Civili in heredes non transeunt *l. 1. §. 1. ff. de jure immun.* nisi generaliter concessæ ita, ut transeant. *l. 4. ff. eod.* Vel etiam Collegio concessæ, quo casu tamen ultra annum Immunitas hodie non videtur extendi, exemplum est in Viduis Theologorum.

Hæc sunt quæ ex materiâ navigationis ampla satis, utilissima simul, jucundissima & penè difficili, præsentibus hisce pagellis includere licuit. Si quid fortè B. Lectori gratum, & publicè utile exhibuerim Deo. O. M. cum humilima & pietissima gratia acceptum fero. Si quid minus congruè tractaverim, ingenii maciem profiteor. Si quid angustè nimis, vel planè non attigerim, temporis angustia adscribendum. Idque longior hora, & hodierna Juris Marini observantia, quam hætenus desideravi, imposterum fortè supplebit. Si quid typographi incuriâ irrepperit, Tuus B. L. jugulabit Candor.



Sup-

Suppleat hanc chartam hæc

Quæstio:

Quomodo Nauta Culpa ex temeritate, audacia, segnitie & ignorantia appareat?

Resp. 1. Si vetito tempore navigat; vetitum autem tempus aliud est juxta consuetudines nauticas nach See Recht/ aliud est secundum Constitutiones Principum.

2. Si è portu solvit media tempestate; expectare enim debet usque dum prosperior flaties invitet.

3. Quando præcipiti avaritiâ ductus nulla motus causa devia sectatur loca.

4. Si minus idoneis ministris navim commiserit, vel non omnes necessarios adhibuerit.

5. Si propter illicitas merces, quas navi immisit, ea confiscata fuerit.

6. Si navim plus æquo oneravit, eique sine discrimine quosvis introduxit, per quos merces subtractæ.

7. Si signis supposititiis (vulgo falsche Flacken) usus sit, & ob id merces in commissum ceciderint.

COROL-



COROLLARIA.

1.

An Dominus teneatur præstare factum
mandatarii sui? N.

2.

An mandans in casu quo mandatarius dif-
famavit mandantis debitores, teneatur
injuriarum, & ad restitutionem damni
per diffamationem facti? Negatur u-
trumque.

3.

An Creditor agens contra debitorem su-
um, debeat satisdare pro reconventio-
ne & expensis, quando Debitor præten-
dit ex causa injuriarum actionem? N.

4.

An is qui in officio fraudulenter & dolo
malo versatur, furti teneatur? Aff.

5.

An mulier rapiens masculum rea fiat poenæ
l. un. C. de rapt. virg.? N.

AB: 152995

ULB Halle
003 358 925


3



R

VD 17







DISPUTATIO INAUGURALIS
continens explicationem
Legis Deprecatio. 9. ff. ad L. Rhod.
DE
JACTU,
Ut & reliquarum Legum Juris Nava-
lis Rhodiorum,
Quam
AUXILIANTE DIVINO NUMINE,
Ex decreto & autoritate,
Magnifici & Nobilissimi Jctorum Ordinis
in Illustri Salana,
SUB PRÆSIDIO
VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI,
ATQUE EXCELLENTISSIMI
DN. ERNESTI FRIDERICI SCHRÖTERI,
U. J. D. Consil. Sax. Profess. Publ. celeberrimi, Curia^e Provinc.
Sax. Facult. Jurid. & Scabin. Assessoris gravissimi, Decani h. t.
Spectabilis, Præceptoris, Patroni, ac Hospitis sui
devenerandi,
PRO LICENTIA,
Summum in utroq; Jure DOCTORIS Gradum consequendi
Publico Examini subjicit
JOHANN DIEDRICH FABRICIUS, Susato Westphalus.
IN AUDITORIO JCTORUM,
Horis ante- & pomeridianis, die 17. Octobr. An. 1660.

J E N Æ,
Typis JOHANNIS NISII.